DISCUSSIO IURIDICA ET CANONICA NOVELLAE PRAXIS...

Franciscus : de Peretto

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
2 H
12

793

13-23, 6, 58

AI e e 25 f 30

Digitized by Google

Digitized by Google

DISCUSSIO JURIDICA ET CANONICA

NOVELLÆ PRAXIS POENITENTIALIS,

AUCTORE

Eximio Domino FRANCISCO DE PERETTO

Sacræ Theologiæ Doctore,

& Canoniſta.

COLONIÆ,

Apud WILHELMUM FRIESSEM.

M. DC. LXXXIV.

CENSURA:

DISCUSSIONEM JURIDICAM ET CANONICAM PRAXIS POENITENTIALIS Eximii Viri D. FRANCISCI DE PERETTO, S. Th. Doctoris, & Canoniſtæ non tam probo, quam approbo: probatam quippè per Canones Eccleſiæ tamquam avitæ Fidei, ac laudatis ejuſdem hucuſque moribus conformem, à nemine tam piæ Matri conſentiente reprobari poſſe cenſeo; ſic ut ad conſolationem, & ſalutem plurimarum animarum, digniſſima ſit prælo, & luci dari, doctis æquè ac indoctis hac in materia pro quietandis conſcientiis multùm profutura: ſalva tamen ſemper authoritate Sanctæ Sedis, cujus eſt de negotiis Fidei & Religionis irrefragabili authoritate decernere. *Datum Lovanii die prima Auguſti* 1684.

NICOLAUS DU BOIS
Sacrarum Litterarum Primarius Profeſſor, Lib. Cenſ. &c.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

CUm per graves diſſenſionum ſciſſuras circà Praxim *Pœnitentialem* plurimorum inducta *ſit ſtrages : Canonicam Diſcuſſionem per annos ſuppreſſi, ut majoribus ſanandis malis charitas ſincera ſubveniat.* Argum. in cap. ut conſtitueretur, diſtinct. 50. *Non abs re putavi tempori ſerviendum, & dandum locum iræ : ne hoc Opuſculum per concitatas mentes dilaniaretur. Scribit* Gregorius Mauricio *Imperatori : „ Illa eſt cautela „ laudabilis, in qua totum ratio agit, „ & furor nihil vendicat .... nec „ quid agendum prius, quam conci„ tata ad tranquillitatem mens re„ deat. Nam commotionis tempore*

 „ ju-

Digitized by Google

„ *juſtum putat omne quod fecerit.* Cap. illa Præpoſitorum 11. q. 3.

Si non ceſſat levitas aut furor, in dictandis Sententiis critici ruunt præcipites. „ *Hinc eſt quod* Moyſes *quæ-* „ *relas populi ſemper ad Dominum* „ *Tabernaculum ingreſſus referebat:* „ *& juxta quod Dominus impera-* „ *bat, judicia proponebat: nimi-* „ *rum nos inſtruens, ut non ex corde* „ *noſtro, ſed ex Præcepto Divino con-* „ *demnationis & juſtificationis ſen-* „ *tentiam proferamus.* Cap. ſummoperè 11. q. 3.

Si nos perſtringere intendis, non ex corde tuo; ſed ex jure Canonico (quod Jus Divinum nuncupatur Cap. quamquam de cenſib. lib. 6.) *Condemnationis profer ſententiam. Cum* Auguſtino: „ *Nequaquam ju-* „ *venilem ætatem tuam & honoris*

„ *Ec-*

„ *Eccleſiaſtici rudimenta contemno.*
„ *Senex à juvene, & ..... à Col-*
„ *lega necdum anniculo paratus ſum*
„ *doceri.* Cap. ſi habes 24. q. 3.

Deus ſæpè revelat minori, quod celatur majori. Cap. eſtote, diſt. 95. & c. nullus, diſt. 39. *Si lucubrationi meæ detrahas; non reſiſto, ſed velut Agnus coram tondente non aperiam os meum.* Cap. ſi enim inquit: de pœnit. diſt. 2. *Veritati amica ſimplicitas.* Cap. 14. de jurejurando. *Si veritatem invaſeris; pro ea propugnanda non vincit me tortura laboris; Opus non erit fruſtraneum; veritatis enim Sectatores Deo placent.* Gloſſa in l. puniri, Cod. ſi contra jus, vel utilitatem publicam. *Veritatem circà Praxim Pœnitentialem (in quantum Deus dedit) Doctorum virorum importunitate con-*

cuſſus, & quaſſatus edicere ſum impulſus. Vtiliter & impubes ferulâ cæditur pro veritate dicenda. L. 2. §. impubes, ff. ad Senatuſconſultum Silanianum. *Scio de Sacramentis ſobriè eſſe loquendum, in quibus etiam vera loqui periculoſum eſt.* Gloſſa in §. Conſecrationem, de Conſecratione, diſtinct. 1. in princip.

Vſus ſum non verborum ludibrio, aut fuco; ſed rudi minervâ: ſcio enim, quod veritatis Fides verborum adminicula non requirat. Gloſſa in cap. veritatis, de jurejurando.

Sicut neminem in ſingulari ullâ acrimoniâ noto: ita te deprecor, ne me de bono opere lapides. Neminem *palpo: ne cenſuram ſimilem incurram, qua* Baldus *ferit* Hoſtienſem, *qui ait:* Hoſtienſis *in favendo Epiſcopis habuit malam ſcientiam,*

tiam , & pejorem conſcientiam. Conſ. 166. incipit punctus quæſtionis, in 2. Volum.

Si erro : non erro ex conſcientiæ malitia. Ideoque ſi quid imperfecti in hoc Opuſculo ſubrepſit, vel erroris, totum ſubjicio Vicario Creatoris, qui opus imperfectum non novit. Cap. majores, §. ſed adhuc, de Baptiſmo; *ut per cultoris providi ſarculum extirpet vitia, corrigat exceſſus, moreſque reformet.* In proëmio Clementinarum : *ne inveniatur quidquam in hoc prato ſpinoſum.* L. 1. §. hoc etiam nihilhominus, Cod. de veteri jure enucleando.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

QUerela undiq́ue circumſtrepit, quod quidam Novator circa Pœnitentiæ Sacramentum aliter ſentiat, quam Romana prædicat, vel obſervat Eccleſia. *Cap. ad abolendam, de hæreticis.*

Ut technas ſuas tegat, Doctrinam ſuam S. Carolo Borromæo adſcribit; ſed malè intelligentibus dicta Magiſtri, aures ſunt evellendæ. *Gloßa in cap. unico, diſt.* 37.

Utitur ſimilitudinibus & ſophiſmatum tendiculis: quæ non tam tendicula ſunt appellanda, quam phantaſmata; id eſt, umbræ quædam & imagines, quæ cito pereunt & reſolvuntur. *Argum. in d. cap. unico, diſtinct.* 37.

S. Tho-

Digitized by Google

S. Thomam, *D. Bonaventuram*, & alios Veteres & Claſſicos Doctores ſibi adverſos ſuperbè rejicit, & in profundum & inane cogitationum demerſus, humilitatis Chriſtianæ oblitus damnabiliter contemnit. *Argum. in cap. ſedulo, diſt.* 38.

Ne igitur per unum fluctuemus plurimi. *Cap. non turbatùr* 24. *q.* 1. Perque unius hominis judicium corruptum nullis vel rationum vel auctoritatum limitibus coarctatum conſcientiæ pax repudiata exulet, aut novitatibus depravanda ſuccumbat, novella ejus Doctrina ad pondus ſanctuarii revocanda eſt; ut diſcutiatur juxta juriſprudentiam, quæ eſt ars boni æqui, & de infinitis finita Doctrina. *L.* 1. *ff. de juſtit. & jure*, *& ibid. Gloſſa.*

Sub

Sub juris enim regula limitatur appetitus noxius. *In Proëmio Decretalium*, qui Novitates quotidiè nititur invenire. *Authent. quibus modis naturales efficiuntur legitimi*, §. *ſi quis vero*, *Collat*. 6.

Meritò deprimenda eſt hæc Doctrina Novella, utpotè Dialecticalis, quæ nullam aſtruendi vim habet, ſed potius deſtruendi cultum Sacramenti per contentionem Sermonis. *Argum. in cap. omnem*, *diſt*. 37. Et per non ſanam intelligentiam Scripturarum: quas dum Novator non ita intelligit, ut rei veritas habet, uvam acerbam commedit. *Cap. unico*, *diſt*. 37. Væ! ne dentes obſtupeſcant.

Digitized by Google

INDEX QVÆSTIONVM,

QVÆ HOC OPVSCVLO CONTINENTVR.

QUÆRITUR I. *Vtrum laudanda ſit Methodus Reformatoria Praxis Antiquæ?* Fol. 1.

Quæritur II. *Vtrum Praxis novella ſit conformis Inſtructioni* S. Caroli Borromæi? 5

Quæritur III. *Vtrum Inſtructio* S. Caroli *ſit in Pœnitentiæ foro tenenda?* 6

Quæritur IV. *Vtrum debeatur Pœnitenti Abſolutio?* 9

Quæritur V. *Vtrum Confeſſarius, qui dubitat circa diſpoſitionem Pœnitentis, teneatur deponere dubium, & eundem abſolvere?* 12

Quæritur VI. *Vtrum Abſolutio, quoties datur, ſub conditione ſit conferenda?* 13

Quæritur VII. *Vtrum frequens relapſus arguat Pœnitentiam eſſe vel fuiſſe fictam?* 16

Quæritur VIII. *Vtrum ſit valida Abſolutio recidivi?* 17

Quæritur IX. *Vtrum mora requiratur, ut Abſolvatur recidivus?* 24

Quæritur X. *Vtrum Attritio ſit ſufficiens diſpoſitio in recidivo, ut abſolvatur?* 29

Quæritur XI. *Vtrum Confeßor videns raram emendationem in Pœnitente, aut habens credulitatem de relapſu, poßit Pœnitentem abſolvere?* 31

Quæritur XII. *Vtrum credendum ſit ſæpius relapſo alleganti propoſitum melioris vitæ?* 33

Quæ-

Digitized by Google

Quæritur XIII. *Vtrum ſæpè recidivi, ſeu conſuetudinarii Peccatores poſſint citò converti?* 40
Quæritur XIV. *Vtrum verbum*, DOLEO, *ſufficiat ad Sacramentum in habituali Peccatore, ſi non ſolum propoſitum, ſed & emendationis ſpes appareat? Vel, utrum requiratur experientia emendationis?* 47
Quæritur XV. *Vtrum Pœnitens interrogari debeat de conſuetudine peccandi?* 51
Quæritur XVI. *Vtrum Pœnitens interrogatus de conſuetudine poſsit eam negare?* 54
Quæritur XVII. *Quæ ſit occaſio proxima peccandi?* 56
Quæritur XVIII. *Vtrum abſolvi poteſt is, qui eſt in occaſione proxima peccandi?* 58
Quæritur XIX. *Vtrum ſeparari debeant Perſonæ diverſi Sexus ſæpè peccantes, & ſimul in una domo commorantes?* 59
Quæritur XX. *Vtrum Concubinarius poſſit Abſolvi non remota Concubinâ?* 62
Quæritur XXI. *Vtrum quilibet ſive Sæcularis, ſive Regularis v. g. Monialis poſsit confiteri alteri Sacerdoti, quam ſuo Confeſſario ordinario, vel ſibi deputato?* 65
Quæritur XXII. *Vtrum Epiſcopus poſsit inhibere, vel limitare Privilegium Prædicatorum & Minorum, quo poſſunt abſolvere quoſlibet, etiam Moniales Epiſcopis ſubjectas?* 68
Quæritur XXIII. *Vtrum Juriſdictio Regularium quoad animæ tribunal ſit ab Epiſcopo?* 71

Digitized by Google

Quæritur XXIV. *Vtrum Epiſcopus debeat perſonaliter examinare Approbandos?* 77

Quæritur XXV. *Quomodo Regulares & alii examinari debeant per adjunctos Examinatores?* 79

Quæritur XXVI. *Vtrum Approbatio poſsit fieri ad tempus?* 83

Quæritur XXVII. *Quid operetur Clauſula in Approbatoriis Litteris, ad beneplacitum, vel ad revocationem noſtram?* 87

Quæritur XXVIII. *Vtrum quando Rex confert dignitatem Curatam, requiratur Epiſcopi Approbatio, ſeu confirmatio?* 90

Quæritur XXIX. *Vtrum Epiſcopus invito Parocho Proprietario poſsit in paracia Confeſsionale alicui aſsignare, vel munus concionandi concedere, vel delegare poteſtatem Sacramenta adminiſtrandi?* 92

Quæritur XXX. *Vtrum poßint Examinatores Epiſcopales recuſari?* 96

Quæritur XXXI. *Vtrum Satisfactio ſit explenda ante Abſolutionem?* 99

Quæritur XXXII. *Vtrum Pœnitentiæ juxta Antiquos Canones ſint injungendæ?* 109

Quæritur XXXIII. *Qualis Pœnitentia ſit imponenda?* 114

COROLLARIUM. 123

Quæritur XXXIV. *Vtrum mors patienter tollerata liberet Hominem à Purgatorio?* 125

Quæritur XXXV. *Vtrum Sacerdos poſsit Abſolvere complicem?* 129

Quæ-

Quæritur XXXVI. *Vtrum Confeſſarius peccans cum Fœmina, cujus Confeſsionem audivit, teneatur hanc circumſtantiam, dum confitetur, explicare?* 132

Quæritur XXXVII. *Vtrum Epiſcopus poſsit reſervare peccatum ſimplicis?* 134

Quæritur XXXVIII. *Qualiter obliget Sigillum?* 137

Quæritur XXXIX. *Vtrum Confeſſarius teneatur interrogare Pœnitentem?* 140

Quæritur XXXX. *Vtrum Confeſsio annua obliget?* 143

Quæritur XXXXI. *Vtrum Sacerdos poſsit Abſolvere nolentes deſiſtere à Choreis?* 148

Quæritur XXXXII. *Vtrum poſsint prudenter probiberi Choreæ?* 149

Quæritur XXXXIII. *Vtrum Clericus ſit Abſolvendus crebrò Ludens Aleis, &c.?* 153

Quæritur XXXXIV. *Vtrum Abſolvendi ſint jurantes ex habitu?* 163

Digitized by Google

ERRATA POTIORA.

P*Ag*. 8. *lin*. 13. *D.Th*. 22.*q*.*art*.3.*ad*, *lege* D.Th. 22.*q*.37.*art*.1.*Pag*.18.*lin*.19.quia non obedit, *lege* qui non obedit. *Pag*. 23. *lin*. 21. Auguſtinum loquentem audi & tace: adde *de vera & falſa pœnitentia c*. 5. *circa finem*. *Pag*.25.*lin*.12.pœnitentiæ, *lege* pœnitens. *Pag*. 31. *lin*. 5. *pœnitentiam, de pœnit. lege cap. pœnitentiam*. *Pag*. 35. *lin*. 17. ſi ſimuleter, *lege* ſi ſimuletur. *Pag*.40.*lin*.9. Si caducetur i.*lege* Si caducetur id eſt. *Pag*. 42. *lin*. 11. impleri, *lege* implere. *Pag*.49. *lin*.26. recideris, *lege* cecideris. *Pag*. 50. *lin*.8.conſitetur, *lege* confitetur. *Pag*.51.*lin*.4. Ego, *lege* Ergo. *Pag*.52.*lin*.24.*Argum.inebriaverunt, lege cap.inebriaverunt*.*Pag*.54.*lin*.24.DoctoresTheologi *in* 3.*q*.8.*art*.2.*ad* 2. *lege in* 3. *Summa D.Thomæ*. *Pag*.56.*lin*.9.ſortè, *lege* ſorte. *Pag*.60.*lin*.6.oſculationis x.*lege* &c.*Pag*.61.*lin*.3.debitum,*leg*. debitum nonexacta.*Pag*.73.*lin*.15.Quiap oſt,*leg*.Quia poſt. *Pag*. 80. *lin*. 30. in Epiſcopum, *lege* in mandatum Epiſcopi.*Pag*.89.*lin*.9.*de integrum,leg.de in integrum*. *Pag*.92.*lin*.10.ſciſmatis, *lege* in ſciſmatis. *Pag*.93. *lin*. 12.Ac nequis, *lege* Ne quis. *Pag*.94. *lin*.2.*Cap*. 2.*de periculo, lege de peculio*. *Pag*.146.*lin*.8.*lib*.13.*lege lib*.10. *Pag*.*ibid*. *lin*.12.abſolvetur, *lege* abſolvitur. *Pag*.147.*lin*.21.*diſt*. 3. *leg*. *diſt*. 3.*de pœnitentia*.*Pag*. 150.*lin*.7.imperioſa,*lege* imperioſo.*Pag*.*ibid*. *lin*.16. ut eum, *lege* ut enim.

Digitized by Google

Digitized by Google

QUÆRITUR I.

Utrum laudanda ſit Methodus Reformatoria Praxis Antiquæ?

RESPONSIO.

NAtura adeo prona eſt ad diſſentiendum *cap. quia diverſitatem de conceſſ. præbend.* Ut ſi data ſit opinandi libertas circa fidem, tot diverſitates fortaſſis opinionum erunt, quot capita. *Can. ſicut in Sacramentis, de Conſecration. diſt.*4. Idcircò præcludunt jura novitatibus aditum, dum ſtatuunt ab eo, quod diu æquum viſum eſt, non facilè eſſe recedendum *L. 2. in rebus novis ff. de conſtitutionib. principum.*

Tamen Doctoribus antiquis inſultat paucorum pernitioſa curioſitas *Cap. unic. de poſtulat. prælator. lib.* 6. qui ſubtili reverentia tenti *l. fin. Cod. de fide inſtrument.* ſub prætextu ſacrilegii vitandi, cum ſcandalo aliter Sacramenta tractant, quam hactenus practicavit Antiquitas: damnabiliter ſe extollentes adverſus Scripturas & Eccleſiaſticos Canones,

Digitized by Google

nova cudentes præcepta. C. *hac autem*, *diſt.* 30. adverſus torrentem DD. inſurgentes *de peccatorum confeſſione*, *matrimonio*, *vel reliquis Eccleſiaſticis Sacramentis aliter ſentire aut docere non metuunt*, *quam Sacro-ſancta Romana Eccleſia prædicat*, *vel obſervat. cap. ad abolendam de hæreticis.*

Notorium eſt, id, quod ab Eccleſia Romana huc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari: nec ſuperinduci aut introduci aliquid, quod auctoritatem debeat generalem aliundè accipere vel exemplum, *cap. quis neſciat diſt.* 11. *cum neceſſe ſit* (ait *Iuſtinianus inſtitut. de ſatiſdationib. §. ultim.*) *omnes Provincias*, *caput omnium noſtrarum Civitatum*, *id eſt*, *hanc Regiam Vrbem*, *ejuſq; obſervantiam ſequi.*

Si ignores qualis ſit in Urbe Sacerdotum Methodus, conſule Romanam pœnitentiariam. Vide qualis ſit Praxis in univerſa Italia, Gallia, Hiſpania, Africa, atque Sicilia, & Inſulis interjacentibus. Invenies Praxim à novella alienam: ut tradunt Libelli editi, & Inquiſitorum hæreticæ pravitatis Cenſura in Hiſpaniis lata adverſus Novatores. Orbis major eſt Urbe *c. quidam* 25. *q.* 1. *& c. Anaſtaſius diſt.* 18.

Juſtè ferulæ ſubacta eſt Novatorum opinio: quia parit interitum animarum ſub velamine Sanctitatis *Clem. cum de quibuſdam. De Religioſis domib.* Olim pariter virgam vigilantem perſenſit Joannes Poliachus S. Theologiæ

Digitized by Google

logiæ Doctor , qui prudentiæ propriæ innixus in errores proprios prolapſus eſt , dum præſumptuoſâ audaciâ contra Claſſes Doctorum in quibuſdam tangentibus pœnitentiæ Sacramentum non ſobriè, ſed perperam ſapiebat in ruinam ſimplicium animarum. *Extravag. vas electionis , de hæreticis.*

Similiter præſumptuoſâ audaciâ Novatores ſpernunt Claſſes Doctorum , in hoc Janſenium quaſi grues ducem ſuum ſequuntur ordine litterario *cap. in Apibus* 7. *q.* 1.

Sed cedendum eſt multitudini *cap. quod dilectio , de conſanguinitate & affinit* , & ſtandum eſt numero Doctorum *Clem. in fine de SS. Trinitate. Vel ſi æqualis ſit , ejus partis præcedat authoritas , in qua excellentis ingenii vir Papinianus eminet , qui ut ſingulos vicit : ita cedit duobus. Ita in Codice Theodoſiano Tit. de reſponſis Cap. in Canonicis diſt.* 19.

Quamvis Novator acrimoniâ ſui ingenii ſingulos vinceret, quia fors Papinianum ſe jactat : congruit tamen ut modeſtè Univerſitati Doctorum cedat , fortioribus enim non ſumus pares *Gloſſa in cap.* 1. *de alienatione judicii* , & faciliùs invenitur , quod à pluribus ſenioribus quæritur *c. de quibus diſt.* 20.

Heu ! mali Corvi malum Ovum : ex Schola Novatorum clamant juvenes infinita ſacrilegia committi à Sacerdotibus Dei , à Praxi Magiſtri ſui alienis : cum tamen hi ultra qualitatem eximiæ diſcretionis tenent clavem

 ſcien-

ſcientiæ, quâ valent diſcernere inter lepram & lepram *in principio diſt.* 20. & quæ obtinet vicem lucis, clavigerum in uſum clavium dirigentis in ligando atque ſolvendo. *Argumentum in extravag. Ioan.* 22. *quia quorundam de verbor. ſignificat.*

Hæc cum à natura non inſit, eſt ab eventu, & ut ſit præclara non cum tranſitorio ſtudio naſcitur, ſed diuturno & importuno. *Auth. de quæſtoribus §. hæc omnia collat. 6. cap. ſic vive 16. q. 1. & Gloſſa in d. extravag. Ioan.* 22. Quod eſt contra momentaneos Magiſtros, qui prius volunt docere, quam diſcere aſſueſcant. C. *ſi officia diſt.* 59. Interim ex inordinato facto hoc commodi reportant; quod docendo doceantur. *Gloſſa in l.* 1. *Cod. de excuſationibus artificum lib.* 10. Siſto. Quia gaudent brevitate moderni. *Gloſsa in c. illa diſt.* 12.

Igitur inviolabiliter cuſtodiri oportet quod ab univerſis ſervatur, quocumque ſe diffundit Eccleſia C. *illa autem diſt.* 12. & extirpanda eſt Praxis novella, quæ à Sede Romana nec Auctoritatem recipit vel exemplum; neque paſſim comprobatur moribus Doctorum tamquam ardua, & ſervilis, & contraria Religioni, quam miſericordia Dei vult à multiplicatis oneribus eſſe liberam: ne tollerabilior videatur conditio Judæorum, qui non ſubjiciuntur humanis præſumptionibus C. *omnia diſt.* 12.

QUÆ-

QUÆRITUR II.

Utrum Praxis novella ſit conformis Inſtructioni S. Caroli Borromæi ?

RESPONSIO.

SAnctus Carolus *cap.* 15. *ſuarum inſtructionum ait : Eſt præterea conſultum Abſolutionem differre, donec evidens appareat emendatio in iis, qui tametſi dicant & polliceantur, quod ſe eximent peccato, tamen confeſſario probabilem faciunt metum, ne contrarium contingat, &c.* idem docet faciendum cum ſæpè recidivis.

Praxis novella illud ipſum mandat, præcipit, inurit, notam ſacrilegii contrarium practicantibus.

Quis neſcit, quod ſit differentia inter mandatum & conſilium ? Nemo ex conſilio mandati obligatur *inſtit. de mandato, §. tua tantum.* Bene tamen ex mandato *Gloſſa in l.* 11. *ff. mandati.* Neque qui hortatur mandatoris operâ fungitur *L. ob hac verba in fin. ff. de his qui notantur infamia.* Solum ad obſervantiam eorum, quæ continentur ſub verbis monitoriis, exhortatoriis, informatoriis, & inſtructoriis de bono & æquo condecet ſequi. *Cap. exiit de verborum ſignificat. lib.* 6.

Igitur non conformis, ſed difformis Doctrinæ S. Caroli eſt Praxis novella. Quia aliud

Digitized by Google

aliud eſt in via, aliud in invio, *Gloſſa in c. qui recedit. de pœnit. diſt.* 4. Noxia Doctrina eſt, quæ ſub alto nomine Sanctitatis hujus viri nocere deſiderat. *Argumentum in c. nemo diſt.* 83.

QUÆRITUR III.

Utrum Inſtructio S. Caroli *ſit in pœnitentiæ foro tenenda?*

RESPONSIO.

CArolina inſtructio nunquam moribus utentium, nequidem in Mediolanenſi ſuo diſtrictu, fuit approbata. Vel ſi fuerit; poſtea corruit abrogata. Valent mores hominum tollere legem & infirmare praxim, *c. in iſtis diſt.* 4. *& cap. fin. de conſuetud.*

Cur Doctrinam longè ſopitam reſuſcitas? cum lex eſt abrogata, pœnam ſuſtinet recitator & auditor. *L.* 2. *§. hæc igitur omnia Cod. de veteri jure. Gloſſa in cap.* 1. *de reſtitut. ſpoliat. lib.* 6. *& in cap. novit. de judiciis.*

Cum ſit ſublata fruſtra menbranas occupat, *c. ſi Romanorum diſt.* 19.

Si Auguſtinus Auctor ſit Libri de vera & falſa Pœnitentia, in quo docet, quod *eliminandus ab Eccleſia ſit ille error, qui unquam pœnitentibus negat indulgentiam c. adhuc de pœnit. diſt.* 3. Si viveret, Carolinæ inſtructioni replicaret

caret id, quod ſcripſit de unico Baptiſmo, *Epiſcopi doctrina reprehendi poteſt per ſermonem fortè ſapientiorem cujuſlibet in ea re peritioris, vel per graviorem auctoritatem, doctioremq́ prudentiam, c. quis neſciat, diſt.* 9. Vel illud, quod habet in Epiſtola ad Fortunatum. *Salva honorificentia, quæ viro laudabili debetur, improbare vel reſpuere ejus dogmata poſſumus c. neq́ diſt.* 9. Quamvis Sanctitate & Doctrinâ polleat, *C. ego ſolis. Eadem diſt.* 9. Quia magis amicandum eſt veritati, quam Platoni. *Panormit. in cap. omnes de majorit. & obedient.*

Non ex auctoritativa inſtructione Magiſtri, ſed per ſubtilia rationum momenta ex fonte eruitur veritas. *C. jejunium diſt.* 76. Quod non cuilibet ſancto datum eſt. Quia non omnes in omnia, ſed certi per certa, meliores vel deteriores inveniuntur. *L.* 1. §. *omnibus Cod. de jure veteri. Gloſſa in c. ut veterum diſt.* 9.

Scribit S. Franciſcus Saleſius ad Coëpiſcopum; Cardinalis Borromæus ſine decima parte talentorum, quæ vos habetis, prædicat, ædificat, & ſe facit ſanctum. *Lib.* 1. *Epiſt.* 31.

Non ſumitur Doctrinalis regula ex ſanctimonia vel opinione viri, ſed ex ratione validiori & ſubtiliori, *Cap. Capellanus, de feriis argumentum inſtitut.* §. *Item pretium de empt. & vendit. l. edicto Cod. de edict. Divi Adriani toll. c. Domino Sancto* §. *ecce inquantum. Diſt.* 50.

A S. Carolo in vitæ ſanctitate non diſcordat S. Franciſcus Saleſius. Tamen ejus Praxis quoad Sacramentum Pœnitentiæ diſcrepat ab inſtructione Carolina, ut *patet in inſtructione ad Paſtores & Confeſſarios.* Ecce Altare contra Altare.

Nec mirum. Auguſtinus & Hieronymus diſſenſerunt. *Epiſt.* 8. & 9. & 11. *inter opera Auguſtini tom.* 2. & facta eſt diſſenſio inter Paulum & Barnabam, ita ut diſcederent ab invicem. *Act.* 15.

Sola concordia, quæ eſt charitatis effectus, eſt unio voluntatum, non opinionum. *D. Thom.* 22. *q. art.* 3. *ad* 2. & *q.* 37. *art.* 1.

In concurſu harum opinionum utriuſque ſancti benignior obſervari debet. *L.* 17. *benignis ff. de legib. cap. fin. de tranſact.* ſimiliter illa quæ ſolvit, non quæ ligat. *L. Arrianus ff. de act. & obligat.* Qualis eſt opinio Saleſii, quæ omninò præferenda eſt: quia pro ſe habet legem & antiquam conſuetudinem approbatam. Minimè verò mutanda ſunt, quæ certam ſententiam ſemper habuerunt. *L.* 22. *minimè ff. de legib.*

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆRITUR IV.

Vtrum debeatur Pœnitenti Abſolutio ?

RESPONSIO.

QUamvis in Confeſſario ſit probabilis & diſcreta credulitas de indiſpoſitione Pœnitentis tenetur tamen Abſolutionem impendere propter periculum injuſtitiæ : ſicut, non obſtante credulitate prædictâ de invaliditate Matrimonii mulier reddere debet conjugale debitum, ſi pars innocens petat, ne violetur juſtitia. *Cap. 44. inquiſitioni, de ſentent. excomm.*

A Judice jus dicendum eſt ſubdito petenti *C. ſtatutis 2. q. 1. & c. 2. ſi Sacerdos, de Officio judicis ordinar.* idque ex juſtitia commutativa fundata in tacito pacto, quod eſt inter Judicem & Subditum. Taciti & expreſſi eadem eſt ratio. *Abbas in cap. cum Eccleſia, de cauſa poſſeſſ. & propriet.*

Igitur ſi Confeſſarius Abſolutionem debitam negat, peccat contra juſtitiam. Quæ ſi in judice deſit, judex non eſt. *C. forus, de verborum ſignificat.* juris præceptum eſt alterum non lædere, jus ſuum unicuique tribuere. *Inſtitut. §. juris præcepta, de juſtitia & jure.*

Qui præcepto huic non obtemperat, immiſericors in Pœnitentem convincitur. Quia ad eum non pertinet miſericordia, qui non ſequitur juſtitiæ opera. *Cap. qui vult. de pœnit. diſtinct. 6.*

Cha-

Digitized by Google

Charitativè debent peccatores recipi. Æger enim, qui à medico repellitur, non curatur. *Cap. ſerpens, de pœnit. diſt.* 1. patet in Juda pœnitente, qui à Sacerdotibus repulſus, incidit in laqueum. *Cap. qui vult, de pœnitent, diſtinct.* 6.

Potuiſſet tamen tantâ miſeratione Domini non excludi à venia, ſi pœnitentiam hanc apud Chriſtum geſſiſſet. C. *his poteſtatis, de pœnitent. diſtinct.* 1.

Non poteſt Sacerdos peccata retinere, quæ Deus ipſe remitteret. Quia ratiò, quæ movet delegantem, movere debet & delegatum, *cap.* 20. *ſuper litteris, de reſcript.* Qui Abſolutionem negat, degenerat ab Evangelico Paſtore, qui Ovem lapſam vexiſſe legitur, non abjeciſſe. *Cap. ſerpens, de pœnit. diſtinct.* 1. Ingemeſcentibus Deus omninò adeſt, qui ſuis adeſſe conſuevit. *Cap. ad Deum*, 32. *q.* 5. Cur tu Confeſſor cum Deo pariter non ades peccata ſua lachrymis diluenti? cur beneficium reconciliationis non præſtas pœnitenti, quem Deus recipit ad veniam? juxta illud: in quacumque hora peccator converſus ingemuerit, tunc ſalvus erit. Quem intus ſuſcitavit, Eccleſia foris abſolvere contemnet? *Cap. Ecce*, 26. *q.* 6.

Qui ad miſericordiæ fontem vocantur, juxta illud Matthæi *Cap.* 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos*; hi per Novatorem, cujus viſcera ſunt crudelia, repulſam pa-

patiuntur. Verè inſons non eſt, qui contra Legiſlatoris nititur voluntatem. *Regula* 88. *juris lib.* 6.

Ad converſum (juxta illud : convertimini ad me in toto corde veſtro, & ego convertar ad vos) mox Deus convertitur, præbens peccati indulgentiam. *Cap. Convertimini de pœnit. diſt.* 1.

In Praxi nova fit ordinis undique verſio, quia negando Indulgentiam, Dei preco avertitur à converſo: & portas miſericordiæ intranti per Confeſſionem. *Cap. voluiſſent, in fin. de pœnit. diſt.* 1. immiſericorditer janitor poſtes claudit. Sed clavium uſus eſt ſolvere à culpa, quod eſt miſericordiæ, vel ligare ad pœnam, quod eſt juſtitiæ. *Alia opera veſtra* (ait Auguſtinus) *in peccatores non agnoſco. C. quem pœnitet, de pœnit. diſt.* 1.

Certè ſi deſpicis lachrymas ex compunctione cordis profluentes, & eum, qui à Deo & ad Deum trahitur, ad reconciliationis oſculum non admittis ex conjectura fallibili, peccas, cum pœnitenti, quod ſuum eſt, veniam ſubtrahas. *Argumentum inſtitut.* §. *juris præcepta, de juſtit. & jure. Quid hoc, rogo, aliud eſt, quam morienti mortem addere, ejuſque animam ſuâ crudelitate, ne abſoluta poßit eſſe, occidere? Cap. agnovimus.* 26. *q.* 6. repulſa nocet; quia præcedens confeſſio contemnitur, & futura fugitur. *Argumentum in cap. alligant* 26. q. 7.

QUÆ-

QUÆRITUR V.

Utrum Confeſſarius, qui dubitat circa diſpoſitionem Pœnitentis, teneatur deponere dubium, & eundem abſolvere?

RESPONSIO.

SIcut omnis definitio in jure periculoſa eſt. *L. omnis definitio ff. de regul. juris*: ita periculoſa eſt peccati mortalis determinatio. *D. Thom. in quodlib. q. 9. art.* 15. quia in criminibus probationes luce debent eſſe clariores. *L. ſciant cuncti Cod. de probat. c. Epiphanium 5. q. 6. & circa initium 2. q. 8.*

Si pœnitentiæ ſigna poſſint & non poſſint cum vera diſpoſitione ſubſiſtere; malè ex motivo dubio judicat Confeſſor poſitivam indiſpoſitionem peccatoris. Quia hoc non probat eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe. *Cap. 2. de tranſlat. prælat. l. neque natales Cod. de probat.* Gravè ſatis eſt & indecens, quod in re dubia certa detur ſententia. *Cap. grave 11. q. 3. & c. habuiſſe, diſt. 23. & inſtitut. de rerum diviſ. §. illud quæſitum.*

Sed id, quod trahi poteſt ad bonum & malum, in meliorem partem interpretandum eſt. *C. 1. diſt. 41. & cap. eſtote de regul. juris.* Taliter ut delictum excludat *C. abſit 11. q. 3.* ibi Gloſſa nequidem præſumit in clerico mulie-

rem

Digitized by Google

rem amplexante libidinis vitium, ſed benedicendi animum. Non ſine manifeſta vel evidenti proba alienum factum, ut malum, judicandum eſt. *Cap Deus omnipotens* 2. q. 1.

Igitur ſtante dubio circà indiſpoſitionem Pœnitentis, abſolvendus eſt reus, & præſumendus eſt bonus. *Cap. dudum de præſumpt.* Habet Eccleſia univerſalis pro regula, quod Sacramentorum Miniſter illum, quem indignum eſſe non novit, dignum debeat æſtimare. *Cap. unic. de ſcrutinio in ordine faciendo.* Judiciaria poteſtas poſtulat, ut, quod debet judicare, manifeſtè diſcernat. *Cap.* 1. *de pœnit. diſt.* 6.

QUÆRITUR VI.

Utrum Abſolutio, quoties datur, ſub conditione ſit conferenda?

RESPONSIO.

IRregularis & ſacrilega foret Sacerdotis intentio, ſi conſecrare intendat panem, quamvis eſſet inconſecrabilis. *Argumentum in cap. cum omne, de conſecrat. diſt.* 2. . . Ergo, ut Sacerdotis ſit recta intentio, debet velle conſecrare panem ſub conditione, ſi ſit conſecrabilis. Argumentum à contrario ſenſu fortiſſimum eſt in jure, ex quo non reperitur contrarium. *Cap. cum Apoſtolica, de*

Digitized by Google

his quæ ſiunt à Prælat. & cap. publicato, de elect. Abbas in cap. in cauſis, de elect. Et contrariorum eadem eſt diſciplina. *L. etſi contra, in fine, ff. de vulgar. & pupill. & inſtitut. de his qui ſunt ſui vel alieni juris in princ. & ibi Ioan. Fabri. & Angel. & l. 1. ff. eod. tit. & ibi Baldus & Alber.*

Valet quoque hoc Argumentum à contrario ſenſu in ſententia Judicis. *L. Pomponius §. ſed & is qui ff. de Procuratorib.*

Similiter, cum ignoret pœnitens an odio vel amore dignus ſit, utrum verè attritus vel contritus, an diſpoſitus vel indiſpoſitus, cum timore & tremore petit Abſolutionis gratiam: & cum eadem incertitudo inſit Confeſſario reſpectu pœnitentis, rectè conditionaliter confert Abſolutionem in quantum poteſt, & pœnitens indiget.

Valet ſententia, ſub conditione relatâ ad tempus præſens vel præteritum, quæ non habet ſuſpendere vel reſolvere. *cap. Biduum 2. q. 6. & l. biduum ff. quando appell. ſit. Abbas in cap. in litteris, de officio delegati. Bart. in l. judex ff. de re judic. Paul. de Caſt. conſ. 15. in primo impreſſis. ſulg. conſ. 146. l. 37. cum ad præſens. ff. ſi certum petatur.*

Itaque cum nunquam tollatur diſpoſitionis vel indiſpoſitionis ambiguitas, ſemper ſub conditione eſt ferenda ſententia. *Quia in ambiguis rebus abſolutum non debet eſſe judicium. cap. fin. diſt. 33.* & abſolutionis ſententiæ ſaltem ineſt tacita con-

conditio, ſi pœnitens ſit capax. Sicut ineſt collationi beneficii tacita conditio, nimirum ſi beneficiandus ſit dignus, quamvis non exprimatur. *Gloſſa in c. 17. cum adeo. de reſcript. & c. cauſam quæ de elect.* Et in reſcriptis tacitè ſubintelligitur, ſi preces veritate nitantur. *cap. 2. de reſcript.*

Hæ conditiones non propriè faciunt Abſolutionem conditionalem. Quia quæ tacitè ineſſe videntur, non faciunt legata conditionalia. *L. conditiones ff. de conditionib. & demonſtrationib.*

Propriè non eſt conditio quæ in præſens vel præteritum confertur. *Gloſſa in l. 37. & l. 39. ff. ſi certum petatur.*

Et dicitur in *Inſtitut. de verbor. obligationib. §. conditiones.* ,, Nam ſi ea ita non ſunt, nihil valet ſtipulatio : ſin autem ita ſe habent, ,, ſtatim valet. Quæ enim per rerum naturam ,, ſunt certa : non morantur obligationem, ,, licet apud nos incerta ſint.

Valent hæ conditiones tacitæ purgare jurantem à perjurio. *Cap. 19. venientes. Et cap. Quemadmodum, de jurejurando. Et ibi vide copioſam Gloſſam. Cap. Beatus 22. q. 2.*

Ergo & abſolventem à ſacrilegio. Caſus enim, quos nectit paritas æquitatis, & identitas rationis, non ſunt, quoad juris diſpoſitionem, ſeparandi. *L. illud ff. ad Legem Aquiliam. Baldus ibi, & Oldra.* Per illum textum ſentit *Angel. in §. feræ inſtitut. de rerum diviſione:* quod,

Digitized by Google

quod, licet omnes Textus dicentes licere venari & aucupari in fundo alieno, ante prohibitionem Domini, nihil dicant de piſcatione in alieno: tamen quia eadem eſt ratio utrobique, dicit idem juris eſſe debere.

QUÆRITUR VII.

Utrum frequens relapſus arguat Pœnitentiam eſſe vel fuiſſe fictam?

RESPONSIO.

Relapſus pœnitentiam præteritam vel præſentem arguit eſſe vel fuiſſe fictam eo ſenſu, quo charitas, quæ deſeritur, ficta, id eſt, fictilis & fragilis eſſe perhibetur: aut comparatione ejus, quæ non deſeritur: illa, quæ amittitur, vera eſſe negatur. *De pœnit. diſt.* 2. *in fine* §. *charitas.*

Non tamen rectè infertur, quod non vera fuerit vel ſit pœnitentia; vel charitas, quia cito deſeritur „ Herba etenim Petrus fuerat, „ qui paſſionis tempore per amorem Domi- „ num ſequens, hunc confiteri ante ancillæ „ vocem timebat. Erat enim jam viriditas in „ mente: quia credebat omnium Redempto- „ rem: ſed valdè ad huc flexibilis, pede con- „ culcabatur timoris. *Cap. cum ſanctam, de pœnit. diſt.* 2.

Sunt in virtutibus gradus. Vera igitur

pœnitentia, quamvis imperfecta, mox orta conculcari poteſt, ut deficiat : *De pœnit. diſt.* 2. §. *hæc quæ de charitate dicuntur.* Perfectum & imperfectum in eadem virtute cauſat differentia graduum ; neque intenſionis vel remiſſionis diverſitas ſubſtantialiter alterat naturam virtutis juxta Philoſophum.

Imperfecta igitur pœnitentia, ſicut & charitas imperfecta conculcari vel deficere non poteſt, ſi verè non ſit. *De pœnit. diſt.* 2. §. *charitas in fin.* Quia impoſſibilitatem involvit, ad quam nulla extenditur potentia. *Argumentum in c. ſi Paulus* 32. *q.* 5. & factum non poteſt non eſſe factum. *L. in bello* §. *factæ ff. de captivis. Et l.* 32. *verum ff. de regulis jur.*

QUÆRITUR VIII.

Utrum ſit valida Abſolutio recidivi?

RESPONSIO.

Novella Praxis hanc Abſolutionem ſacrilegam judicat. Nonne hæc cenſura ex vitello prodit ? certè melius fuiſſet dubitare, quam temerè diffinire *Gloſſa in c. penult.* 32. *q.* 7. Inconſultus zelus eliminat hanc Abſolutionem ſine Prædeceſſorum exemplo *Argumentum in c. Perlatum, de conſecrat. diſt.* 3.

Sed

Digitized by Google

Sed novella opinio, non DD. veterum contradicentium tantum verbis, ſed & demonſtrantium ſuperatur exemplis. *Gregor. Epiſt.* 9. Via antiqua dimittenda non eſt propter novam. *Anton. de Butr. in cap.* 1. *de clericis peregrinis.*

Admittitur eorum crebra confeſſio, qui aſſerunt ſe abſtinere non poſſe, id eſt, peccandi animum non deponunt *juxta Rubrum*; *cap.* 5. *quod quidam. De pœnitent. & remiſſ.* His merito negatur Abſolutio. Cum nec ipſum peccatum, nec voluntatem peccandi excludunt: ad quod obligantur juxta illud Joannis 8. vade & amplius noli peccare. *Cap. ſi Apoſtolus, de pœnit. diſt.* 3.

Sed arguitur à contrario ſenſu (quod argumentum in jure fortiſſimum eſt. *Cap. ad Apoſtolicam, de his quæ ſiunt à majori parte capit. Et l.* 1. *ff. de officio ejus cui mandata eſt juriſdictio*) quod iterata abſolutio negari eis non debeat, qui in criminibus voluntatem retractant. „ Ea „ enim, quæ frequenti prævaricatione ite„ rantur, frequenti ſententiâ condemnentur. *Cap.* 1. *de pœnis.*

Cum audis peccatorem cum diſplicentia criminis in ſingultibus pœnitere. Audis eum peccata deteſtantem, non amantem quia bonus ſimul & malus eſſe non poteſt. *De pœnit. diſt.* 2. §. *ſi autem.* „ Opus ergo (*ait Au*„ *guſtinus ſermon.* 44. *cap.* 6. *de Domini Verbis*) „ ut qui revixit, ſolvatur, ut abire permit-

„ tatur

Digitized by Google

„ tatur. Hoc officium Diſcipulis dedit, quibus ait, quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt „ in Cælo.

Sed ne videatur Abſolutio eſſe in arbitrio Confeſſoris, additur. „ Vide genus reſuſcitationis, proceſſit Lazarus de monumento „ & ambulare non poterat, & Dominus „ ad Diſcipulos, ſolvite eum & ſinite abire.

Hæc verba Chriſti ſunt imperativâ. Quod imperatur, neceſſe eſt fieri *cap.* 15. *in his, de verborum ſignificat.* Fruſtra metuis ſacrilegii culpam. Quia quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere neceſſe. *Regula quod quis lib.*6.

Si Abſolutionem ſubtrahas pœnitenti contra Mandatum Domini, in hoc pariter evertens conſuetudinem Eccleſiæ, quæ vim legis habet, *C. conſuetudo diſt.* 1. non eris fidelis Sacramenti Diſpenſator, ſed potius perfidus & doloſus. Quia non poteſt dolo carere, quia non obedit Imperio Magiſtratus. *L. non poteſt ff. de regul. jur.*

Evidens eſt hoc mandatum Domini. Ideoque ejus ignorantia, quia ſupina eſt *Argumentum in cap.* 2. *de conſtitut. lib.* 6. non excuſat Confeſſarios. *Regula ignorantia lib.* 6.

Ait enim Mediolanenſis Antiſtes Ambroſius: *Evidentiſſimè* DOMINI PRÆDICATIONE MANDATUM EST, *etiamſi graviſſimi criminis reis* (quales ſunt ſæpè relapſi) *ſi ex toto corde & manifeſta confeſſione peccati*

 pæ-

Digitized by Google

„ *pœnitentiam agant , Sacramenti cœleſtis gra-* „ *tiam refundendam. Cap. poteſt fieri. De pœni-* „ *tent. diſt.* I.

Singulorum auribus non eſt mandatum intimandum *cap. ad hæc de poſtulat. Prælat. & c. quod dicitis diſt.* 16. Sufficit quod proſtet publicê. De publico & notorio creditur ſimplici officiali. 4. *q.* 4. §. *aliquando. Et Gloſſa in cap. veſtra duxit. De cohabitat. Clericor. & mulier.* Quanto magis Ambroſio Eccleſiæ Principi de manifeſto & notorio præcepto teſtanti credendum eſt ?

Innocentius III. Papa ſtatuendo decrevit, quod Livonienſibus noviter ad fidem converſis (in qua populoſa gente abſque dubio erant recidivâ inquinati) præviâ confeſſione in conſuetis Feſtivitatibus Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini tribuatur. *Cap.* 8. *Deus de pœnitent. & remiſſion.*

Eodem titulo ait idem Innocentius in *cap.* 11. *quod in te ; recipientibus autem ſignum Crucis* (inter quos non dubito fuiſſe recidivos) *non negamus , quo minus eis ob reverentiam Crucifixi pœnitentia , cum* POSTULAVERINT , *injungatur.*

Nobiſcum ſtares , ſi non fingeres multiplicatum relapſum arguere in confitente obduratum animum in malo.

Sed per tuam fictionem tu abbrevias manum Dei. „ Quis tamen (ait Auguſtinus) „ audeat dicere Deo , quare huic homini , „ qui

Digitized by Google

„qui poſt primam pœnitentiam ſe laqueis „ iniquitatis aſtringit, adhuc iterum parcis? *c. quamvis cautè de pœnit. diſt.* 3.

Deus novit figmentum ſuum, ejuſque vitam labilem, cujus natura quodammodò labitur ad delicta. *Auth. de Monachis* §. *ſi quis igitur. Collat.* 1. Ideoque ſeptuageſies ſepties (finitum ponitur pro infinito) ſi convertatur ad pœnitentiam, peccata donantur. C. *ſepties de pœnit. diſt.* 3.

Occaſio non debet præberi ea, quæ medecinaliter fuerant ſtatuta, novis fictionibus, aut ratiociniis pulſandi. C. *majores* 24. *q.* 1. Ne quis de ſalute deſperet: aut ne calore iracundiæ in indignationis verba prorumpat, vel in calumniam adverſus Confeſſorem ſe præcipitet. Ex injuſtitia ſeu ex inordinato facto de facili quis exaſperatur & turbatur. *Argumentum in cap.* 5. *ſi quando de reſcriptis.*

Quæ ratio fortius militat in relapſu carnalis delicti, quod quaſi eſt naturale, quamvis non excuſet. *L. ſi ſervus* §. *ſi fornicarius ff. ad Legem Aquil.* Quippè naturalia ut plurimum ſolent evenire: quia ſine carnali crimine pauci inveniuntur. C. *quia ſanctitas. Diſt.* 50.

Igitur juxta Praxim novellam paucis exceptis: quibus gratia caſtitatis Deo inſpirante placet. C. *de his. Diſt.* 28. Reliqui contra mandatum Domini deſtitui debent Abſolutionis ſolatio: utpotè in quibus ut plurimum eſt recidiva peccati.

 Ideo-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Ideoque benè Auguſtinus ad Macedonium ait : quotidiè peccantibus numquam per pœnitentiam venia negatur. C. *quamvis*. *Diſt*. 50. Et cum Dominus ſit cordis inſpector QUOVIS TEMPORE non eſt neganda pœnitentia poſtulanti. C. *Agnovimus* 26. *q*. 6.

OBJICIS : Non ſanæ mentis eſt Dominus, qui ſervo ſe colaphizanti indulget, ſi poſt diem vel horam ſæpiùs idipſum agit, quod pœniter. Nonnè juſtè ſervo nequam iraſcitur Dominus, neque miſeretur, cum plangenda iterato committat ?

RESP. Non inſanit homo ſi divinam imitetur clementiam, cujus proprium eſt miſereri SEMPER & parcere; cujus pietas ſolum noſtrum reditum querit, ac nos cupit longâ bonitate ſuâ ſalvari. C. *Diaconi*. *Diſt*. 93. Sed potius verè ſapit, ſi ſecundùm præcepta & regulas Chriſtianæ Doctrinæ percutienti maxillam, alteram ſit præbere paratus *Auguſt. lib.* 1. *de Sermone Domini in Monte*, *cap*. 34. *& cap*. 35. *& cap*. 36. *tom*. 4.

Sicut ſeptuagies ſepties in te peccanti, modo ſit proſtratus, parcere obligaris. Ea namque (ait Gregorius) quæ in nobis committuntur facilè poſſumus dimittere. C. *ſi is qui* 23. *q*. 4. Ibidem addit Gloſſa : Inſiſtendo Codici ad injuriam abolendam tenemur.

Fateor quod hominis ſanguis irâ cito bulliat, & mox in vindicationem ruat : quia naturalius eſt ei appetere vindictam injuria-

rum,

Digitized by Google

rum, quam ab hoc deficere. *Salluſtius in conjuratione Catilinæ in c. cujus titulus eſt : Cæſaris Oratio.*

Sed ira Dei non eſt ut hominis : id eſt, perturbatio concitati animi, ſed tranquilla juſti ſupplicii conſtitutio. *Cap. productior. de pœnit. diſt.* 3. & nonnullos per longa tempora ad pœnitentiam exſpectat, ut patientiam ſuæ benignitatis nobis oſtendat. 23. q. 4. §. *ſed & hic.*

Qualecumque lenitatis augmentum quis fingat in homine, ſi id referatur ad miſericordiam Dei, cujus non eſt numerus, fit inepta comparatio tanquam finiti ad infinitum : quia inter Creatorem & creaturam non poteſt tanta ſimilitudo notari, quin inter eos major ſit diſſimilitudo notanda. *cap. damnamus. de S. Trinitate.* Deique reſpectu etiam juſtitiæ noſtræ pannus eſt menſtruatæ ideoque ubi homo amplius non miſeretur, Deus parcit.

Auguſtinum loquentem audi, & tace „ Quid enim aliud eſt deſperare, quam Deum „ ſibi comparare ? Nam qui de Deo non præ„ ſumit veniam, non animadvertit plus pec„ cato ſuo Dei poſſe clementiam. Si enim ſen„ tiret Deum magis bonum, quam ſe malum : „ quidquid in ſe juſtitiæ non inveniret, à Deo „ magis bono exſpectaret : & quidem diffi„ dit, qui ſummi boni bonitatem majorem „ ſuâ nequitiâ non ſentit. Ille enim ſolus diſ„ fidat, qui tantum peccare poteſt, quan-

Digitized by Google

„ tum Deus bonns eſt. Cum ſit autem nullus „ qui hoc poſſit, qui timet de ſe malo, præ„ ſumat de meliore. Diabolus enim & omnis „ nequitia minor eſt, quam Dei miſericordia. „ Ipſe enim ſi poſſet ſperare & culpam in ſe „ ſentire: quod non invenit in ſe, præſume„ ret de Dei bonitate. Adhuc qui diffidit & „ ſuam nequitiam Dei pietati comparat, fi„ nem imponit divinæ virtuti, DANS FINEM „ INFINITO.

QUÆRITUR IX.

Vtrum mora requiratur, ut Abſolvàtur recidivus?

RESPONSIO.

QUamvis aliquorum perfidia frequenter ad vomitum redeat. *cap. Iudai. de conſecrat. diſt.* 4. volenti tamen confugere ad pœnitentiæ præſidium; non eſt ordinariè Abſolutio neganda vel differenda quia longa dilatio retrò poteſt animum ritè diſpoſitum à Sacramento revocare *c. ne quod abſit de conſecrat. diſt.* 4. ubicumque periculum timetur, dilatio ſine mora vitanda eſt. *Gloſſa in. cap. fin. de pœnit. & remiſſ.* ne res ſine exitu ſit. *Gloſ. in cap.* 21. *v. duobus de offic. & poteſtate judic. delegat.*

In Pœnitente non eſt conſideranda menſura temporis, ſed doloris. C. *menſuram, de pœnitent. diſt.* 1. Quia miſericordiæ Dei nec men-

menſuras poſſumus ponere , nec tempora diffinire , apud quem nullas patitur moras veniæ converſio : dicente Dei Spiritu per Ezechielem Prophetam *cap.* 18. Cum converſus ingemueris, tunc ſalvus eris. C. *his qui* 26.*q.* 6.

Non tempori relinquendus eſt peccator corrigendus. Periculosè enim ſalus animæ tempori committitur. Quia infirma eſt ſpes , quæ committitur tempori : cum omne tempus incertum ſit , non omni ſpes tempori ſit ut ſuperſtes. *Ambroſ. lib.* 2. *de pœnit. cap.* 9.

Sed in Sacramento Pœnitentiæ committendus eſt infinitæ bonitati Dei , qui pronus ad miſericordiam animam peccatoris gratiæ ſuæ rore fœcundat , medetur , & ſanat.

Si anima languida & ſaucia ſanitatem & medelam velit , ſubdenda eſt pœnitentiæ Sacramento ; non Sacramenti privationi. Quia non entis nullæ ſunt qualitates. *Arg. in cap. ad diſſolvendum , de deſponſatione impuberum , & ibi Gloſſa , L. ejus qui in Provincia verſ. quoniam ff. ſi certum petatur , cap. bonæ de elect.*

Audi Ambroſium : „ Sunt qui arbitrantur hoc eſſe pœnitentiam , ſi abſtineant à „ Sacramentis Cæleſtibus. Hi ſæveriores in ſe „ judices ſunt , qui pœnam præſcribunt ſibi , „ declinant remedium : quos vel pœnam ſuam „ conveniebat dolere , quia cæleſti fraudarentur gratiâ. C. *ſunt qui , de pœnit. diſt.* 1.

Non negamus quod dilatio interdum cauſet per accidens in pœnitente effectum bo-

num

num, ſi fiat de voluntate pœnitentis, ut in ſimili dicitur de Communione Paſchali: quæ in præcepto eſt: *Niſi fortè de proprii Sacerdotis conſilio ob rationabilem cauſam ad tempus pœnitens duxerit abſtinendum, cap. omnis de pœnit. & remiſſ.*

Si adultus non duxerit abſtinendum, communicandus eſt, non obſtante conſilio proprii Sacerdotis. Quia conſilium nolentem non ligat. *Argumentum in cap. 2. de verborum ſignificat. lib. 6.*

Temperatè igitur procedendum eſt *cap. 11. de offic. delegat.* Quamvis ſit fructifera & non injurioſa dilatio Abſolutionis volenti: *Regula ſcienti lib. 6.* Tamen illud regulariter in recidivis prohiberi debet propter conſequens malum. *Gloſſa in c. ita ego 22. q. 1.* Quia inter illos ſunt multi infirmi & multi debiles, quorum ſaluti Abſolutionis dilatio non expedit: quibus lac oportet potum dare, non eſcam, facilè ruent in odium Sacramenti, in verba blaſphemiæ, in deteſtandas execrationes, & in finalem obdurationem in malum. Ex dilatione enim pœnitentiæ periculum imminet animarum. *Cap. fin. de pœnit. & remiſſ.*

Prudenter pœnitens plerumque arbitratur ſe diſpoſitum: tamen Novator phantaſticus in contrito corde obicem fingit. Si eidem regulariter foret licitum Abſolutionem ſuſpendere regulariter erraret crudeliter repellendo dignum, cum vix licitum ab illicito diſcerni

poſ-

Digitized by Google

poſſit. Quia vitia vicina ſunt virtutibus, & crudelitas vult zelus videri. *Cap. ſæpè. Diſt.* 41.

Nec obſtat vanus ſacrilegii timor; quia ſub iſto excuſationis velamine non ſunt ſcandalizandi puſilli, nil omninò cum ſcandalo faciendum eſt. *Cap. ad aures, de tempor. ordin. & cap. nihil prodeſt. De præſcript. & cap. cum ex injuncto, de novi operis nunciat.*

Nec animæ ſalus in pendenti relinquenda eſt: quia morte præveniente vita finitur & ſpes veniæ. Ideoque Confeſſarii puniendi ſunt, qui properantibus ad pœnitentiam ſubducunt gratiam: ſicut cenſurandi ſunt Epiſcopi, qui ad gratiam Baptiſmatis feſtinantes fortaſsè recipere noluerunt. *C. Epiſcopi* 11. *q.* 3.

Mortalitatis eventus imputatur medico ſi periculoſum, relicto certo, applicet remedium: vel ſi mora interjecta, vel imperitiâ medicamentum adverſum applicet, vel nullum. Delictum medici in periculo hominis innoxium eſſe non debet. *L. illicitas* §. *ſicuti ff. de Officio Præſidis, & l. qua actione* §. *ultim. ff. ad Legem Aquil. & l. Medicus ff. de variis & extraordinariis cognitionib. & cap. tua de homicid.*

Et ſi fuerit interpellatus, & habuerit poſſibilitatem dandi, tenetur moroſus de caſu fortuito. *L. quod te ff. de rebus creditis, & l. ſi ex legati ff. de verbor. obligat.*

Abſque dubio mora nocet medico: *Regula Mora lib.* 6. Quia quem non paviſti, occidiſti.

Cap.

Digitized by Google

*Cap. paſce. diſt.*86. Sicut diſſoluta negligentia propè dolum eſt : *L. ſi fidejuſſor. ff. mandat.* Ita & medicina ſi non exhibeatur ſecundùm artis traditionem, culpa non vacat. *Argumentum in cap. ad aures, de ætate & qualit.*

Eruditi in arte confeſſionali tradunt hactenus contrito vel attrito mox dandam eſſe Abſolutionem; ne, ut diximus, pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum. *Cap. fin. de pœnit. & remiſſ.* Judica igitur an Praxis novella careat noxæ ſcrupulo.

Mora interdum prodeſſe poteſt minus diſpoſito, vel conſentienti. Nam gratior eſt fructus, quem ſpes productior edit: & non ſtatim tradenda eſt ſponſa, ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiravit ſponſus dilatam. *c. inſtitutum* 27. q. 2. *& gloſſa in cap.* 1. *de privilegiis.* Uti fidejuſſor non debet ſtatim venire cum ſacco paratus. *l. quod dicimus ff. de ſolut. & c. quamvis diſt.* 50.

Interdum dilatio recogitare facit in amaritudine animæ deformitatem criminum, magiſque cum utilitate concutitur timore divinæ vindictæ : juxta illud : ſæpè tulit lapſis ſuccus amarus opem. *Gloſſa in c. in actione de pœnit. diſt.* 1.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆRITUR X.

Vtrum Attritio ſit ſufficiens diſpoſitio in recidivo, ut abſolvatur?

RESPONSIO.

ATtritio ad juſtificationem non ſufficit ſine aliis partibus pœnitentiæ. *Argumentum de pœnit. diſt.* 1. §. *alii econtrario.* Sed habet vim diſpoſitionis, ſi ſit cum firmo propoſito melioris vitæ, & cum ſpe veniæ: & juxta Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum diſponit. Quaſi lux auroræ creſcendo fit meridies, id eſt, contritio. Angelus *verb. contritio.*

Illa, quæ novella opinio fingit præperatoria, non novit hactenus in ſuis dogmatibus Eccleſia. Sed illud cenſetur omiſſum, quod non invenitur expreſſum. *L. quidquid ff. de verbor. obligat. & cap. legatur* 24. *q.* 2.

Secundùm ordinem naturæ juxta Philoſophos diſpoſito ſubjecto communicatur forma.

Cur bonum gratiæ, quod magis eſt communicativum ſui, ſine mora impartiri non debet attrito & præparato cordi per beneficium Abſolutionis? facilè eſt in oculis Domini ſubito honeſtare pauperem. *Eccl.* 11. & converſis præſto eſt indulgentia. *Gloſſa in cap. his poteſtatis de pœnit. diſt.* 1.

Opi-

Digitized by Google

Opinio negans recidivis reconciliationem, etiamſi ſint attriti, vel fundatur in eo, quod non proſit pœnitentia recidivis: quod eſt perfidiæ. *Cap. adhuc inſtant. perfidi, de pœnit. diſt.* 3. Vel in eo, quod arbitretur Canones Pœnitentiales, qui arcent pœnitentem à perceptione Sacramentorum, pertinere ad forum internum: quod eſt contra Navarrum alioſque Canoniſtas *in cap. falſas de pœnit. diſt.* 5. Demus quod illos obſervaverit antiquitas, ſervivit illa legi & tempori ſuo: ſerviamus & nos legi & tempori noſtro; in quos fines ſæculorum devenerunt. *De pœnit. diſt.* 2. §. *eligat.* Vel fundatur poſitio in eo, quod exiſtimet recidiva peccata habere ipſo jure excommunicationem minorem annexam, ob quam arcendus eſt pœnitens à participatione paſsiva Sacramentorum: quod pertinet ad craſſam juris ignorantiam: quia illa excommunicatio non infligitur, niſi in caſu in jure expreſſo. *Cap. ſtatuimus, & cap. nuper, de ſentent. excommunicat. Libr.* 6.

Igitur hoc eſt ſtultitiæ multa fingere, & Canonum Doctrinam contemnere. *Argumentum in c. de Conſtantinopolitana. diſt.* 22. nec vitium purgat prætexta pietas. Quia nihil intereſt, ex qua honeſta cauſa quis inſaniat. *cap. origo* 32. *q.* 4. det veniam calamo. Deſcribis enim Doctores veteres ſacrilegos. Patientiam habe iniquum eſt, ut quiſquam de alio judicare velit, & judicari de ſe nolit. *C. iniquum* 32. *q.* 6.

QUÆ-

QUÆRITUR XI.

Vtrum Confeſſor videns raram emendationem in Pœnitente aut habens credulitatem de relapſu, poſſit Pœnitentem abſolvere?

RESPONSIO.

NOn requiritur ad Abſolutionem obtinendam, quod in antè pœnitens ſe actualiter emendaverit. Quia pœnitentiam veram agere, eſt commiſſa plangere, & iterum plangenda declinare. *pœnitentiam, de pœnit. diſt.* 3. quæ declinatio in affectum ſonat, non neceſſariò in effectum.

Concordat Ambroſius, pœnitentia eſt præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere. *Cap.* 1. *de pœnit. diſt.* 3. Ibi Gloſſa interpretatur *ly* committere: id eſt, non committendi propoſitum habere. Scilicet pro tunc cum peccator pœnitet. *Ita Magiſter in* 4. *Sentent. diſt.* 14. *& D. Thom. in ſupplem.*

Dicit enim Dominus *Ioan.* 5. *vade & noli amplius peccare*, non dixit ne pecces, ſed ne voluntatem habeas peccandi. *Cap. ſi Apoſtolus, de pœnit. diſt.* 3. *& cap. infirmitas de pœnit. & remiſſ.* Verus & utilis dolor eſt, qui habet propoſitum melioris vitæ; & ille præ-

parat

Digitized by Google

parat ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ. *Trident. Seſſ. 14. Can. 5.*

Sufficit hic & nunc firma voluntas non peccandi, etiamſi in Confeſſore & Pœnitente adſit credulitas de relapſu futuro. *Sa verb. Abſolutio n. 13. Innocent. in cap. omnis de pœnit. & remiſſ. Navarr. in Manuali cap. 3. n. 13. Victoria de Sacr. n. 197.* Quia præſentis propoſiti veritas non pendet à futuro contingente.

Et credulitas in præjudicium veritatis reprobatur *Argumentum in l. 1. §. dolum ff. de eo per quem factum erit.* Et iniquum videtur quod credulitas Confeſſoris obſit Pœnitenti, ſicut nec credulitas creditoris obeſt Domino. *L. 3. §. ſed ſi ſic ff. de in rem verſo.* Impoſſibile moraliter non eſt pœnitentem modo verè pœnitere cum vero emendationis propoſito: & ſtatim impellente vel inſtante occaſione mutare propoſitum. *Vivaldus titul. de Abſolutione n. 43. & Sancius in Selectis diſp. 9. & 10.* Ut patet in eo, qui centies cadit, & centies curatur à medico, ut appareat toties opus miſerantis, quoties confeſſio fit pœnitentis. *Cap. adhuc de pœnit. diſt. 3.*

Objicis: Peccati venia non datur niſi correcto. *Regula peccati lib. 6.* Correctio vero non facilè præſumitur.

Resp. In foro fori non facilè præſumitur facta correctio ob præſumentis naturam corrumptam, & rei, quæ prona eſt ad delicta. *Gloſſa in regula ſemel malus. lib. 6.*

Sed

Digitized by Google

Sed in foro poli nemo præſumitur tanquam immemor ſuæ ſalutis falſum propoſitum allegare. *Cap. Sancimus* 1. *q.* 7. ſicut de teſte præſumitur quod nolit dejerare *Cap. cum tu fili. de teſtib.* ideoque ſe probat eſſe correctum, ex quo dolet ſe fuiſſe perverſum. *Cap. fin.* 23. *q.* 7. differentia fori diverſum poſtulat de correctione judicium, *Argum. in cap.* 2. *de offic. judicis Ordin.* propterea qui ad Sacramentum non probatur indignus, ſuæ conſcientiæ relinquendus eſt. *Cap. mulieri de jurejurando.* Neque ullatenus tanquam indiſpoſitus repelli debet, *ne* (ut ait lex) *ſubjectam innocentiam feriamus l.* 17. *accuſationis circa princ. Cod. de accuſationib.*

QUÆRITUR XII.

Vtrum credendum ſit ſepius relapſo alleganti propoſitum melioris vitæ?

RESPONSIO.

PLerumque dolor alterius cordis occultus eſt ,, Alteri : nec in aliorum notitiam ,, niſi per verba, vel quæcumque alia ſigna ,, procedit, cum ſit coram illo, cui dicitur : ,, gemitus meus à te non eſt abſconditus. *C. in actione de pœnit. diſt.* 1. ideo in foro animæ credendum eſt pœnitenti tam pro ſe, quam contra ſe dicenti. *D. Thom. quodlib.* 1. *art.* 10.

de

Digitized by Google

de ſe confeſſo creditur in jure. *tit. de confeſſis.* & principalis perſona, quæ veritatem aſtruit de re ſibi nota, teſtis eſt idoneus *Cap. in omni de teſtibus & atteſtat.* etiam in commodum proprium: ſi abſit jactura tertii *Argum. in cap. 51. nuper, de teſtib. & atteſtat. ibi Gloſſa Innoc. ſuper rubr. de conſecrat. Eccleſiæ vel altar. & Gloſſa in cap. licet univerſis de teſtib. & atteſt.*

Credendum eſt cuilibet in foro animæ, qui non accuſatur vel denunciatur; ſed per ſeipſum appetit conſilium ſalutare. *Gloſſa & text. in cap. ſignificaſti de homicidio.* Quia ſolum ſibi fit præjudicium: quod (cum non præſumatur immemor ſuæ ſalutis, *Gloſſa in cap. 26. tua nos de ſponſalib.*) non cenſendus eſt velle ſibi inferre. Cum ſe obligat judici, cui occulta omnia noverit revelari. *Cap. agnovimus 26. q. 6.*

A judice talis fieri debet interpretatio in verbis pœnitentis, quæ ſacrilegii reatum excludit. *Cap. 1. de jurejurando libr. 6. & cap. 16. cum tu. De teſtib. & atteſt.*

Suæ enim conſcientiæ relinquendus eſt, ubi factum poteſt eſſe innoxium, vel ſacrilegum. *Cap. 34. mulieri de jurejurando.* Deus, quem non fallit qualitas, nec peccantis affectus veram de pœnitente profert ſententiam. *Cap. Deus qui 24. q. 3.* „Sed Presbyter, „qui mentem alterius non poteſt videre, ta-„lia confitentis verba judicat, qualia foris „ſonant. UNDE INDIGNUM ABSOLVIT FRE-

QUEN-

Digitized by Google

QUENTER. *Gloſſa in c. quem pœnitet. de pœnit. diſt.* 1.

Tollerabilius eſt contra præſumptionem propriam dimittere abſolutos, quam vere contritos contra ſtatuta Domini à Sacramento ſeparare, *Argum. in cap.* 47. *de teſtib. & atteſtat.*

Credit Eccleſia impotentiam, quam vir in ſe, & mulier in viro jurati allegant: licet fieri poſſit colluſio in fraudem Sacramenti. *Cap.* 1. *accepiſti de frigidis, & cap. laudabilem eodem titulo.*

Credit item Eccleſia (ubi Tridentinum non eſt admiſſum) Matrimonia ſubeſſe inter clandeſtinè contrahentes, ſi ea publicent. Quamvis fraus & dolus intervenire poſſit & eſſe contubernia & ſtupra, ſi ſimuleter conſenſus: ſine quo nuptiæ non conſiſtunt. *Cap.* 25. *tuæ fraternitati de ſponſalib.*

Cur tu non credis pœnitenti, qui timore Dei ſalubriter concuſſus conſcientiæ levamen inquirit, ſerium propoſitum allegat, & pœnitentiæ remedium ſuſpirat: quamvis & ſub hac larva verborum dolus latere poteſt? cogimur verba prolata in eo ſenſu retinere, quem ſolent rectè intelligentibus generare. *Cap.* 7. *ex litteris de ſponſalib.*

Sicut verba indicant interiorem motum animi ſe obligandi in potentibus contrahere. *Cap.* 25. *tuæ fraternitati de ſponſalibus.* Ita & verba

ſigni-

ſignificant animum debitè pœnitendi in potentibus pœnitere, eſt Argumentum à ſimili, quod non reprobatur à jure. *Gloſſa in cap. tranſlato de conſtitutionib.* verba enim ſunt notæ paſſionum, quæ ſunt in anima ſecundum Philoſophum: idcircò intelligenda ſunt ſecundum mentem proferentis. *Cap. intelligentia de verborum ſignificat.*

Quem vides virtutis ſtudio, humili ſui accuſationi, auditioni ſapientis Confeſſoris, ejuſque juſtæ cenſuræ ſe tradere, hujus munda & recta opera intellige. *Argum. cap. ex ſtudiis de præſumptionib.* Quæ patent Oculis, humani ſunt menſura judicii. Ideoque homo non judicat de occultis. *cap. Chriſtiana 32. q. 5.* ſed ſecretorum ſolus Deus Cognitor & Judex eſt. *Cap. erubeſcant. diſt. 32.*

Item ubi Tridentinum non eſt receptum, neque promulgatum, Sacramentum Matrimonii, ſi præcedat promiſſio, & ſubſequatur copula, dumtaxat præſumptum videtur. Contra tamen præſumptionem hujuſmodi non eſt probatio admittenda. C. 30. *de ſponſalib.*

Igitur contra verba conſueta pœnitentis, proteſtantis, & exprimentis dolorem, & vitæ novæ propoſitum, locus eſſe minus debet ſuſpicioni contrariæ. *Argum. cap. 31. ſi inter, de ſponſalib.*

Item Eccleſia præſumit eam habere animum monachandi, quæ ſpontè ſtat inter velatas, & actibus Profeſſarum ſe immiſcet.

Cap.

Digitized by Google

Cap. vidua, de regularib. Cur tu animum non præſumis ſincerè pœnitendi in eo, qui ſpontè ſtat in numero verè pœnitentium, & ab eorumdem actibus non diſſimilis? Verè per tuam fictionem, ſi peccator coram Deo pœnitet, veritas non confunditur, nec deletur. *Argum. l. in rebus in princip. Cod. de jure dotium.*

Si ignoras quo animo fiat: procedat ejus intellectus ex radice charitatis: quæ remotâ miſericordiâ nîl diſcutit: & ambigua in partem meliorem interpretatur. *Cap. eſtote, de regul. juris.*

Contra idoneum teſtem (qualis eſt ſui ipſius pœnitens, ſicut eſt & ipſe accuſator & reus) non debet ſimplex aſſertio judicis, ſeu opinio phantaſtica prævalere. *Argum. cap. 28. conſultationi, de ſponſalib.*

Judex motum animi ſui format ex rei confeſſione, vel teſtium depoſitione; non vero ex fallibilium ſuſpicionum argumentis: Neque danda eſt occaſio figmentis. *Gloſſa in cap. cum contingat, de reſcript.*

Deus enim (juxta Auguſtinum) „ noluit „ hominem ab homine judicari ex arbitrio „ ſuſpitionis, vel etiam extraordinario uſur„ pato judicio: ſed potius ex Lege Dei ſecundum ordinem Eccleſiæ: *Cap. multi 2. q. 1.* Quæ judicat ſecundum allegata & probata, etiam contra privatam ſcientiam. *D. Thom. 2. 2. q. 67. art. 2. cap. ſummoperè 11. q. 3. & c.* judi-

judicet 3. q. 7. & c. ſi tantum , & c. placuit 6. q. 2. l. illicitas ff. de Officio Præſidis.

Propterea optimè concludit *Gloſſa in cap. 27. de Officio delegati :* DE ALIIS DICI POTEST , TREPIDAVERUNT TIMORE , UBI NON ERAT TIMOR. PRONUNCIET ERGO IN NOMINE DOMINI SECUMDUM ALLEGATA ET PROBATA , ET DEPONAT CONSCIENTIAM LÆSAM.

Quid ages Novator cum diuturno hypocrita qui nunc obicem , fraudem & dolum deteſtatur, cum ante ſimili agendi modo per mendacia in Charitate ficta Abſolutionem centies à te extorſit ſacrilegam ? ſi non abſolvas , perit in peccato ſuo , ſi non ſit contritus. Si abſolvas : ſine ſacrilegii metu ſemper abſolve , & judica ſecundum allegata & probata. Sunt enim in pœnitentia diuturni hypocritæ & momentanei juſti. Inter quos noli judicare , cum latent. Multi enim neſciuntur donec veniat Deus , qui illuminabit abſcondita tenebrarum .... & in meſſe palea ſuffertur ad ultimum ventilabrum. *Cap. multi* 2. *q.* 1.

Fraus & dolus purgari poteſt. *Cap.* 35. *de elect. lib.* 6. Et dum pœnitens renunciat improbitati , ſtatim aſciſcitur virtus : eodemque ſtudio , quo crimen excluditur , innocentia copulatur. *Cap. cum renunciatur* 32. *q.* 1.

Si hypocrita vel mendax in antè fueris ; & nunc pœnitens ; nomen amittis ex virtute. Plebejus enim adoptatus à Senatore in Filium,

per-

Digitized by Google

perdit nomen vile, & illuſtris evadit, & coruſcat ex radiis adoptantis. *L. Senatoris Filius ff. de Senatorib.*

„ Apud miſericordem judicem nec illa fal-
„ lax habebitur, quæ ad veritatem revertitur,
„ etiam poſtquam mentitur: quia omnipo-
„ tens Deus dum libenter noſtram pœniten-
„ tiam ſuſcipit, ipſe ſuo judicio hoc, quod
„ erravimus, abſcondit. *Cap. apud 32. q. 1.*

Objicis: Fallax & caducum eſt propoſitum, quod in incontinenti reſolvitur.

Resp. Hominis libertas inſtabilis & natura fragilis ſub vitio eſt.

Ideoque non ſic quiſque in Sacramento Pœnitentiæ vitam reformat, ut quemadmodum ibi deponit omnia peccata præterita, etiam ita ſtatim mortalitatem ipſam carnis, corruptionemque vitæ deponat. *Cap. tres ſunt de pœnit. diſt. 1.*

Sed voluntas aut deſtinatio animi pro varietate occaſionum mutabilis eſt: quoniam ambulatoria nuncupatur uſque ad fatale vitæ momentum. *Gloſſa in cap. Marthæ §. cæterum, de celebrat. Miſſar.*

Etiam in civilibus reſolvitur emptio re integra *L. 1. Cod. quando licet ab emptione recedere.* Etiamſi millies quis declaret ſe velle contrahere. *Gloſſa in cap. cogitatio, de pœnit. diſt. 1.*

Propoſitum etiam firmum mutatur in Petro, dicente: non lavabis mihi pedes in æter-

 num:

Digitized by Google

num : cum tamen pedes Chriſto mox dederit abluendos. *Cap. Beatus Paulus* 22. *q.* 2.

Igitur non eſt mendax propoſitum, ſed verum : quamvis ſit variabile & caducum. Quia in omni propoſito, ſicut & in pollicitatione tacitè agitur ſi res in eodem ſtatu permanet. *Cap.* 25. *quemadmodum, de jurejurando.* Et Gloſſa *in cap. ex parte, de reſcriptis.* Si caducetur i. corrigatur. Ea enim, quæ de novo emergunt, novo auxilio indigent. *Gloſſa in cap. fin. de conjugio Leproſorum.*

QUÆRITUR XIII.

Vtrum ſæpè recidivi ſeu conſuetudinarii Peccatores poſſint cito converti?

RESPONSIO.

NEſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. *Gloſſa in c. multiplex de pœnit. diſt.* 1. qua ſubitò motus David ſalubriter correptus à Nathan exclamavit, peccavi Domino : & audire meruit Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris 2. *Reg.* 12. quamvis peccator multis ſceleribus ſit inquinatus, in momento convertitur, patet in Saulo, Matthæo, Magdalena, & in Latrone, qui fuit inſidiator viarum & ſaluti hominum ſemper infeſtus uſque ad crucem reus. *Leo Papa in Sermone de paſſione Domini : qui incipit : exigit fides.*

Non

Digitized by Google

Non eguit prolixitate temporis, ut ingreſſum Paradiſi mereretur, ſed tantum ei ſpatium ſuffecit, quantum expendi potuit, donec unum poſſet proferre ſermonem. Ita ut intra unum MOMENTUM temporis totius vitæ ſceleribus abſolutus præcedere ad Paradiſum etiam Apoſtolos mereretur. *Chryſoſtom. de reparatione lapſi.*

Filius prodigus ad vocem, Pater peccavi in Cælum & coram te, reconciliatus eſt oſculo: & Publicani humilitas confeſſione ſalvatur. *Hieronym. Epiſt.* 10. *Libr.* 2. „Peccatoris converſio mente potius eſt æſtimanda, quam tempore, Propheta hoc taliter aſſerente; cum converſus ingemueris, tunc ſalvus eris . . . . : *ſupra* & deſperet de miſericordia Dei, qui eum ad ſubveniendum morienti ſufficere, vel in momento poſſe non credit. *Cap. agnovimus* 26. *q.* 6.

„Quorſum iſta tam longo repetita principio? videlicet ut parvum magnus aſpicias, ut dives Paſtor morbidam non contemnas ovem .... Chriſtus, inquam, prodigum filium revertentem lætus amplectitur, & nonaginta novem pecudibus derelictis, una ovicula, quæ remanſerat humeris boni Paſtoris advehitur. Ubi vero peccator intelligens vulnus ſuum tradit medico ſe curandum, ibi non eſt virga neceſſaria, ſed ſpiritus lenitatis. *Cap. importuna. de pœnit. diſt.* 1.

No-

Digitized by Google

Novatores in his exemplis miracula fingunt. Hæc fictio regulariter deſperat de miſericordia Dei erga morbidam ovem, quaſi ſubvenire in momento non poſſit. Tamen juxta Bernardum *de interiori domo cap.* 37. peccatum proditum cito curatur, velox confeſſio medicinam facit. Fingunt in his exemplis miracula ex principio, quo fingunt gratiam ſufficientem eſſe monſtrum quoddam ſingulare gratiæ, eamque negant omnibus dari, qua valent Dei præcepta impleri, ſi velint.

Sed olim dicebatur iſta cenſura monſtroſa. Quia doctrinam perſimilem habet monſtro ſive ſpecimini Gommariſtico, cujus articulos citat Malderus *de gratia q.* 3. *art.* 3. *pagina* 482. *&* 483. *& in dubio* 5. *membro* 1. *addit.*

Adultis, qui non ſunt obdurati datur ſufficiens gratiæ auxilium, quo ad Deum converti poſſunt ..... quæ ſanè moverunt Scholaſticos Doctores pleroſque non immerito, ut manibus pedibuſque in eam ſententiam irent, quæ, adultis ſaltem omnibus, in Chriſto tribuit ſufficientem gratiam, qua ſalvari queant: quod apud Hiſpanos & ubique in Chriſtianis Academiis hodie adeo receptum eſt, ut non dubitaverit Cumel. *tom.* 3. *Diſputationum ſuarum ad* 1. *partem D. Thomæ* ſcribere: „ Quæ propoſitio ab omnibus ad„ mitti debet, & in quacumque opinione. Et Petrus de Cabrera Cordubenſis *in* 3. *p. D. Tho. q.* 18. *art.* 4. *diſp.* 6. *dub.* 1. Hæc conclusio

Digitized by Google

ADEO CERTA EST, UT OPPOSITUM SINE ERRORE AFFIRMARI NON VALEAT. Et Petrus de Ledeſma *de gratiæ auxiliis art.* 16. *quæſt. unica.* Hoc dictum eſt certiſſimum inter Theologos, & illud docent omnes diſcipuli D. Thomæ.

Novella hæc fictio non diſcrepat à Calvino *lib.* 2. *inſtit. cap.* 2. § 6. ubi ait : phreneticos nil moror, qui gratiam pariter, & promiſcuè expoſitam eſſe garriunt.

Memor humilitatis & modeſtiæ calamum ad Canones verto.

Lateranenſe Concilium ſub Innocentio III. ait: „ Si poſt ſuſceptionem Baptiſmi quiſpiam „ relapſus fuerit, per veram pœnitentiam „ SEMPER poteſt reparari. *Cap. firmiter de* „ *Sanctiſſ. Trinit.*

Item Concilium Senonenſe *Can.* 15. ait : „ Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero „ præjudicat arbitrio : cum illa ſemper in „ promptu ſit, & neque momentum qui„ dem prætereat, in quo Deus non ſtet ad „ oſtium & pulſet : cui ſi quis aperuerit, „ intrabit ad illum, & cœnabit, cum illo.

Semper in promptu eſt gratia; non efficax: ergo ſufficiens.

Item S. Fulgent. Epiſt. 7. *c.* 8. „ Sicut „ medico noſtro nulla eſt incurabilis plaga : „ ita nec in aliquo vulnere, nec in aliquo „ tempore, cæleſtis poteſt deficere medicina.

Item S. Amb. *lib.* 2. *de Abel & Caïn cap.* 3. in-

Digitized by Google

inquit: „ Omnibus opem ſanitatis detulit: „ ut quicumque perierit, mortis ſuæ cauſas „ ſibi aſcribat: qui curari noluit, cum re- „ medium haberet quo poſſet evadere.

Addo Colonienſe Concilium anno 1536. *part.* 7. *cap.* 32. quamquam nemo convertatur ad Dominum, niſi tractus per Patrem, attamen nemo hic excuſationem prætexat: quod non trahatur: quod ille SEMPER ſtat ad oſtinm pulſans: nimirum per internum & externum verbum commonens, ut convertamur à via peſſima.

Ly SEMPER nullum momentum temporis excludit. Particula enim indefinita æquipollet univerſali. *Argum. in Gloſſa in cap.* 37. *venerabili*, *de officio delegati.*

Et omne tempus, & omnem caſum reſpicit. *L. ſemper ff. de jure immunitatis. De quo Bart. l.* 1. *ff. ſolut. matrim.*

In omni momento verum eſt, quod Deus velit omnem hominem ſalvare, quem ad beatitudinem creavit. „ Nolens aliquos perire, „ ſed omnes ad pœnitentiam reverti. 2. *Petri* 3. *verſ.* 9.

Conceſſo fine, conceduntur & media, quibus quis poſſit finem attingere. Conceſſo enim hauſtu aquæ & iter conceſſum videtur. *L. item ſi ff. de ſervitut: ruſticorum prædior.*

Praxis novella non credit, quod inveteratus peccator in incontinenti poſſit ſe per pœnitentiam corrigere: propterea temporis moram netit.

Sed

Digitized by Google

Sed ei exprobari poteſt id *Iudith* 8. exprobantis Bethuliæ incolis. POSUISTIS VOS TEMPUS MISERATIONIS DOMINI, ET IN ARBITRIUM VESTRUM TEMPUS CONSTITUISTIS EI?

OBJICIS: Si conſuetudinarii indies ſalubriter pœnitentia mundentur, cur Sancti Patres de morientis pœnitentia ſecuri non ſunt, juxta illud, pœnitentia ſera, raro vera?

RESP. Morientes præſumuntur non verè pœnitere: quia priùs à peccato relinquuntur, quam ipſi relinquant ea: ideoque non liberè, ſed quaſi neceſſitate condemnant. Illi autem, qui cum potuerunt, nunquam converti voluerunt, confitentes cum jam peccare nequeunt, nec ſic facilè acquirunt, quod volunt. *Cap. nullus de pœnit. diſt.* 7.

Vix & raro eſt ejus juſta converſio, quem morbus urget & pœna terret. Quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit. *Cap. idcirco de pœnit. diſt.* 7. „ Diſplicent latroni peccata, quando agitur de pœna.. *Auguſtin. lib. de vera & falſa pœnitentia cap.* 9.

Secus Philoſophare de pœnitentia, quæ voluntariè aſſumitur, dum peccator ſanus eſt. Utilis enim erit pœnitentia, ſi ſit ſpontanea Dominum querens, quem amiſiſſe doleat. Ad illum anxians, præter quem non eſt vita. Auguſtin. eod. *lib. de vera & falſa pænit. cap.* 9.

Sup-

Supponitur nulla coarctans neceſſitas, ſed ſola Dei inſpiratio, pulſus, motio, concitatio, & illuminatio, & timor utilis, quo ſalubriter concuſſus & adjutus viam ſibi ad juſtitiam parit. „ Vis ergo (ait Auguſt.) à „ dubio liberari? vis quod eſt incertum eva„ dere? age pœnitentiam dum ſanus es. Si „ ſic agis, dico tibi quod ſecurus es; quia „ pœnitentiam egiſti eo tempore, quo pec„ care potuiſti. *Cap. ſi quis de pœnit. diſt.* 7.

Ecce Auguſtinus ſecuritatem præſtat de veracitate pœnitentiæ, quæ in ſanitate liberè agitur. Cur tu eam præſumis fictam, ſi ſepè & iterato contingat: & ſi peccator inveteratus poſt lapſum ſtatim ad bonum Dominum feſtinet tendere in dolore cordis, & lamentabili oris confeſſione?

Una eademque pœnitentiæ vis ſecuritatem in Auguſtino, & oppoſitam in te cauſare non poteſt rectam præſumptionem. Quia eadem res non habet contrarios effectus. *Cap. majores, de Baptiſmo.* Neque eadem cauſa parit obligationem & liberationem. *L. qui hominem §. ultim. ff. de ſolution. & Gloſſa in cap. ſi quis, diſt.* 57.

QUÆ-

QUÆRITUR XIV.

Vtrum verbum, DOLEO, *ſufficiat ad Sacramentum in habituali peccatore, ſi non ſolum propoſitum, ſed & emendationis ſpes appareat. Vel utrum requiratur experientia emendationis?*

RESPONSIO.

VErbum illud eſt index interioris doloris & compunctionis. Qui dicit ſe dolere de peccatis & velle abſtinere, eſt id attritio, quæ ſufficit cum Sacramento. *Sa, verb. abſolutio num.* 14. Humiliatio coram Sacerdote ſignat contritionem. Nam Gloſſa ſuper illud: *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Notat: quod prius dicatur contritum, & poſtea humiliatum. Quia non poteſt humiliari coram Sacerdote in confeſſione, niſi priùs fuerit contritum.

Concordat Auguſtinus *Serm.* 8. *de Verbis Domini cap.* 1. „ Quare jam confiteris in accuſatione peccati tui, niſi quia ex mortuo „ vivus factus? Scriptura quippè ait: à „ mortuo, quaſi qui non ſit, perit confeſſio. „ Si perit à mortuo confeſſio, qui confitetur, „ vivit. Et ſi peccatum confitetur, utique à „ morte revixit. Si peccati confeſſione re-

„ vixit

„ vixit à morte, quis eum ſuſcitavit? Spi-
„ ritu mortuum quis ſuſcitavit, niſi qui re-
„ moto lapide clamavit, Lazare veni foras?
„ Quid eſt autem foras prodire, niſi quod
„ occultum eſt forasproderè? Qui confitetur
„ foras prodit. Foras prodire non poſſet,
„ niſi reſuſcitatus eſſet.

Confeſſio igitur peccati vitam prodit, ſaltem imperfectam ſeu attritionem in pœnitente: quia foras prodire non poſſet, niſi reſuſcitatus eſſet.

Manes tamen incredulus inſtar Thomæ niſi per experientiam palpes vitæ correctionem.

Quam ſit extraordinarium uſurpatum judicium correctionis experimenta requirens; monſtrat hactenus ordo Eccleſiæ, quæ, cum audit peccatorem pœnitere, & peccata confiteri, credit eundem reſuſcitatum.

Interroga Auguſtinum, & docebit te qui in explicatione Pſalm. *Pſalmo* 101. ait:
„ Dominus Lazarum voce de ſepulchro ſuſci-
„ tavit, ipſe clamando animam reddidit,
„ ipſe terrenam molem terreno ſepulchro im-
„ poſitam vicit, & proceſſit ille vinctus. Fit
„ hoc in corde pœnitentis. Cum audis (NON
„ DICIT CUM VIDES PER EXPERIENTIAM)
„ hominem pœnitere peccatorum ſuorum,
„ jam revixit. Cum audis (*idem nota*) homi-
„ nem confitendo proferre conſcientiam, jam
„ de ſepulchro eductus eſt, ſed nondum ſo-
„ lutus eſt.

Re-

Digitized by Google

Reviviſcentiam peccatoris non cauſat Abſolutionis dilatio , aut longa petita proba: ſed diſplicentia peccati juxta Auguſtinum *Serm.* 44.*Cap.*6.*de Verbis Domini*.Ubi loquitur de quibuſcumq́; pœnitentibus: „ Reſurrexe-„ runt jam iſti,quibus diſplicet quod fuerunt.

Si adſit hujuſmodi diſplicentia poſt patrata adulteria (nota conſuetudinem) per claves Regni Cælorum non dubitatur fieri remiſſio peccatorum ; ita ut poſt Chriſti conſortium adultera non vocetur. *Cap. non erit* 32.*q.* 1.

„ Cur enim adhuc reputamus adulteros , „ quos credimus vel Baptiſmate ablutos , vel „ pœnitentia eſſe ſanatos ? *Cap. quod autem* 32.*q.* 1.

Crimen enim deletum eſt , unumquemque judicat Deus ſicut invenit , nec præterita (*ſcilicet ſæpè iteratos relapſus*) conſiderat, ſed præſentia. *Hieron. Epiſt.* 10.*lib.* 2.

Per breviloqua & pauca verba pœnitens obtinet Indulgentiam. „ Hinc Christus „ ex perſona membrorum ait : (non abſor-„ beat me profundum , neque urgeat ſuper „ me puteus os ſuum) quod Auguſtinus ex-„ ponit dicens : puteus eſt humanæ iniqui-„ tatis profunditas , in quem ſi recideris , „ non claudet ſuper te os ſuum , ſi tu non „ clauſeris os tuum : confitere ergo , & dic , „ De profundis clamavi ad te Do-„ mine ; & evades. §. *Ex his itaq́; de pœnit. diſt.* 1.

,, In hoc enim quod per ſe dicit Sacerdoti, ,, & erubeſcentiam vincit timore offenſi, ,, fit venia criminis ..... laborat enim ,, mens patiendo erubeſcentiam, & quo- ,, niam verecundia magna eſt pœna, qui ,, erubeſcit pro CHRISTO, fit dignus miſe- ,, ricordia. *Cap. quem pœnit. diſt.* 1.

Qui igitur damnanda peccata conſitetur, & emendationem melioris vitæ promittit, & paratus eſt conſilium Sacerdotis, ejuſque præceptum ſequi de frequenti Confeſſione & Communione (quod remedium ſuadet pro habitualiter relapſis Catechiſmus Romanus) in eo apparet ſpes emendationis cujus natura in eventu ſita eſt. *L. nec emptio ff. de contrahend. empt.* Quæ, quamvis gradum certitudinis attingat, tamen non eſt indubitata, DD. *in l. penult. ff. quibus ad libertatem proclamare non licet.* Sicut dicimus de ſpe futuræ beatitudinis, de qua non datur certitudo ſcientiæ, ſed credulitas tantum juxta Auguſtinum ut refert Innocent. *In cap. ex litteris, de jurejurando.*

QUÆ-

QUÆRITUR XV.

Vtrum Pœnitens interrogari debeat de conſuetudine peccandi?

RESPONSIO.

INterrogandus eſt pœnitens de conſuetudine formaliter ſumpta: quia eſt ipſimet actus frequenter repetiti, *teſte Ariſtotele* 2. *Ethicorum*. Ego de hac conſuetudine interrogari peccator debet, ſicut & de peccatorum numero.

Sed ſi ſemel formalem conſuetudinem aperuerit; ceſſat deinceps obligatio. Nullum enim præceptum pœnitentem vinculat ad reconfitendum peccata dimiſſa. Dicit Textus *in cap.* 6. *de accuſationib.* „ De his criminibus, de quibus abſolutus eſt accuſatus, „ non poteſt accuſatio replicari. Et crimina ſemel dimiſſa iterum in ultionem Divina Clementia venire non patitur. *Cap. ſi illic* 23. *q.* 4. *&* 2. *q.* 3. *§. notandum*, *& c. divina clementia de pœnit. diſt.* 4.

Sicut igitur perit in ritè confitente peccata ſua reconfitendi obligatio: quia hæc ſemel extincta non inſtauratur. *L.* 9. *cum ex cauſa Cod. de remiſſione pignoris*: ita & Conſequenter ceſſat poteſtas reinterrogandi in confeſſario. Quia de facto unius lex ſæpius queri

Digitized by Google

vetat. *L. 6. licet in fin. ff. nautæ, caupones*, & contra prohibitionem legis nil poteſt poteſtas judicis. Id enim dicimur poſſe, quod jure poſſumus. *Gloſſa in cap. faciat* 22. *q.* 2. *& Argum. in cap. ſuſcitatis de reſcriptis. Et gloſſa in cap.* 10. *niſi de renunciat.*

Si loquamur de conſuetudine, id eſt, de effectu ipſius, qui eſt quidam habitus ex ipſa productus: quamvis hic ſit vitioſus, eo quod ad malum inclinat: non tamen eſt peccatum. Quia fomes, qui ex malo eſt, & ad malum inclinat, ſemperque repugnat legi mentis 15. *q.* 1. §. 1. *& cap. ſi Paulus* 33. *q.* 5. non eſt peccatum, ſed pœna peccati 15. *q.* 1. §. 1.

Non eſt inquirendus pœnitens de habituali & de difficulter mobili qualitate Phyſica: ſed de peccato, & peccati circumſtantiis. Hæc ſolummodo ſpectant ad inquiſitionem hujus ſacri tribunalis. *Cap. omnis de pœnit. & remiſſ.*

Hæc conſuetudo ſi foret circumſtantia, non eſſet aggravans, ſed potius minuens remittendo indifferentiam arbitrii, & conſequenter allevians peccatum; *Argum. inebriaverunt.* 15. *q.* 1.

Si peccator quoties relabitur, toties repænitendo reſurgat, non eſt cur potius, nominetur habitualis peccator, quam habitualis pœnitens. Ob frequentem reſipiſcentiam nomen juſti non amittit. Ait enim Hieronymus ad Ruſticum de pœnitentia:

„ Sep-

Digitized by Google

„ Septies in die cadit juſtus , & reſurgit. Si „ cadit, quomodo juſtus ? ſi juſtus , quo- „ modo cadit? ſed juſti vocabulum non amit- „ tit , qui per pœnitentiam ſemper reſurgit. *Cap. ſepties de pœnit. diſt.* 3.

In caſu frequentis pœnitentiæ & relapſus ſat munitus eſt pœnitens contra recidivam conſcientiæ teneritudine, & ingemiſcendi facilitate , & inceſſabili appetentiâ gratiæ Sacramentalis, quæ medicinalis eſt & præ- ſervativa : ait enim Auguſtinus : „ Gratia , „ quæ per Chriſtum datur non ſolum pecca- „ torum remiſſionem facit , ſed etiam ut lex „ impleatur, ut natura liberetur , nec pec- „ catum dominetur. *Cap. gratia de conſecrat. diſt.* 4.

Gratia non ſolum peccata dimittit , ſed & ne iterentur adjuvat juxta definitionem Concilii Milevitani contra Pelagianos. *Cap. placuit , & cap. ſeq. de conſecrat. diſt.* 4.

Et ipſa ſatisfactio Sacramentalis non tantum operatur vindictam præteritæ culpæ, ſed & præſervationem futuræ. Quia ſecundarius ejus effectus , eſt infuſio gratiæ ex opere operato ad præſervantiam. Doctores Theologi *in* 3. *q.* 8. *art.* 2. *ad* 2. *Cajetan. ibi Sot. in* 4. *diſt.* 17. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 2. *object. Suarez de pœnit. diſput.* 38. *ſect.* 2. *n.* 3. *de ſatisfact.*

Satisfactiones denique medentur peccatorum reliquiis , & vitioſos habitus , malè vi-

vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. *Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 8.

Ecce gratia impedit ne peccatum dominetur, adjuvat ne iteretur, & contrarii actus virtutum vitioſos habitus tollunt. Ergo ſi, quoties labitur peccator, toties reſurgat, non eſt habitualis peccator vocandus. Quia, cum conſuetudo non ſit diſtinctum peccatum ab actibus, eadem gratia vel virtus, quæ tollit actus, tollit & conſuetudinem non diſtinctam ab illis. Quoties ex una radice vitium naſcitur, conſequens eſt, ut una lege tollatur. *L. ſi libertum Cod. de nupt. & cap. Chriſtus* 1. *q.* 1. *& c. ſi quis per vetus* 22. *q.* 2.

QUÆRITUR XVI.

Utrum Pœnitens interrogatus de conſuetudine poſſit eam negare?

RESPONSIO.

Pœnitens interrogatus juridicè ſeu ſecundum ordinem juris tenetur reſpondere de conſuetudine formali, quæ non diſtinguitur à peccatis juxta Ariſtotelem *Ethicorum lib.* 2.

Sed ſi Confeſſarius petat de Phyſica entitate habitus vitioſi, excedit ordinem præſcriptum *in cap. omnis, de pœnit. & remiſſ.* In quo conceditur facultas interrogandi de peccatis, eorumque circumſtantiis.

Ac

Ac propterea cenſetur privata Perſona, ad quam non pertinent arcana conſcientiæ. *Cap. 2. de officio ordinar.* Et hujuſmodi interrogatio æquivocè eliditur juſtè, ut ibidem probatur: vel tacendum eſt. Obſcurè enim reſpondere, & nihil reſpondere, paria ſunt. *L. 12. de ætate §. nihil intereſt ff. de interrogatoriis actionib.* Et veritatem celari, & mendacium dici, diverſa ſunt. *C. quæritur 22. q. 2.*

Chriſti exemplo amphibologia confirmatur *Marci* 13. de die illa nemo ſcit, neque Filius. Ideſt, ad dicendum, ut interpretatur D. Thomas. Nullus pœnitens tenetur reſpondere ad ea, quæ ad cauſam non pertinet: neque de quibus eſt intellectum. *Gloſſa in authent. principales in v. exiſtimant. Cod. de jurejurando.*

Confeſſor de iis dumtaxat ſubtiliter inveſtigat, de quibus ex officio judicat; quæ habent rationem peccati, vel habent rationem circumſtantiæ mutantis ſpeciem *Argum. in cap. 1. de pœnit. diſt. 6.*

Non datur libertas curioſè inquirendi ſtatum pœnitentis, id enim magis ſuggerentis, quam requirentis videtur. *L. 1. §. qui quæſtionem ff. de quæſtionib.* Maximè ſpecialis quæſtio vetita eſt in præjudicium alterius, v. g. complicis. *Eadem l. 1. §. qui quæſtionem.* Denique qui inveſtigator eſt malorum opprimetur ab eis. *Proverb. 11.*

Digitized by Google

QUÆRITUR XVII.

Quæ ſit occaſio proxima peccandi ?

RESPONSIO.

DIcitur occaſio proxima, quæ vel in ſe eſt peccatum, vel ex ſe eſt ſemper cauſativa peccati, poſſibilis evitari. Tollenda eſt occaſio delinquendi. *L. æquiſſimum ff. de uſufructu. Gloſſa in cap. 1. v. adimetur, de uſuris lib. 6.*

Dixi : Quæ in ſe eſt peccatum, ut includantur illicitæ artes : v. g. Necromantiæ, vel ſortè, aut per inſpectionem aſtrolabii furta requirendi. *Cap. 1. & 2. de ſortilegiis.* Ars fænerandi. *Tit. de uſuris* : Torneamenta exercendi. *Cap. unic. de torneamentis.* Et officia, quæ non poſſunt exerceri ſine peccato mortali. Hæc occaſio abradi debet : quia pœnitentibus tantum delicti veniam indulgemus. *L. Manichæos Cod. de hæretic.*

Dixi : Vel ex ſe &c. quia ſi ex habituali diſpoſitione, aut intrinſeca proclivitate peccatum procedat ad datam occaſionem : illa non erit proximè cauſativa peccati : ſed radix peccati erit ipſa inordinata propenſio, tolli igitur debet depravatus animus ad concupiſcendum facilis : non objectum extrinſecum, quod nequidem ex ſe in culpam influit.

fluit. Quod enim conſenſu contrahitur, contraria voluntate diſſolvitur. *L. 1. Cod. quando licet ab empt. & cap. omnis de regulis juris.*

Dixi: Semper cauſativa peccati. Quia, ſi vel ſemel forma naturalis non ſubſequitur diſpoſitionem: ſignum eſt, quod illa non fuerit diſpoſitio proxima. Non enim juxta Philoſophos naturalis nexus utriuſque per ordinariam potentiam impeditur.

Ars Philoſophiæ Moralis imitatur naturam, quantum poteſt, *L. ſi Pater, in fin. ff. de adopt. & DD. in cap. cupientes, de elect. lib. 6.* A ſimili infert, quod illa ſit occaſio proxima, cui morali neceſſitate & compaginis viſco peccatum ſemper connectitur. Argue de ſimilibus ſimiliter, & idem infer judicium. *Cap. ad ejus vero diſt. 5. & cap. denique diſt. 4.*

Dixi, poſſibilis evitari. Si enim occaſio tolli non poſſit ſine magna difficultate, ſcandalo, infamia, nocumento: non cenſetur ejus fuga in morali potentia hominis. *L. Nepos Proculo ff. de verborum ſignificat, & cap. faciat 22. q. 2.* Non expedit ad ardua reſtringere. Quia qui nimis emungit, elicit ſanguinem. *Cap. denique, diſt. 4.* Liberat operis difficultas ab obligatione juramenti: *Cap. 17. brevi. de jurejurando*, vel neceſsitas *Cap. 10. querelam eod. tit.* Vel quævis legitima cauſa. Ait lex: „Qui jurato promiſit judicio ſiſti, „non

Digitized by Google

„ non videtur perjuraſſe ſi ex conceſſa cauſa
„ hoc deſeruerit. *ff. qui ſatiſdare cogantur.*

QUÆRITUR XVIII.

Utrum abſolvi poteſt is, qui eſt in occaſione proxima peccandi?

RESPONSIO.

ILle abſolvi non debet, qui, cum commodè poteſt, nulla interveniente juſta cauſa (*de qua ſuprà*) occaſionem proximam non removet, ex quâ conſequitur morali neceſſitate peccatum. Qui enim occaſionem damni vult, damnum velle videtur. *Argum. in cap. fin. de injuriis, & Gloſſa in cap. 1. de cuſtodia Eucharistiæ.* Et qui vult unum connexorum, vult & alterum. *Argum. cap. quis Sacerdotum, diſt. 81. & Gloſſa in cap. quo jure, diſt. 8.*

Diximus: Si illa occaſio ſit proxima: non vero remota. *Gloſſa in cap. 11. de cætero, de homicidio.* Tunc enim peccatum in ea judicatur moraliter ſeu interpretativè volitum: id eſt ſecundum prudentum judicium & interpretationem. *Argum. in cap. 14. & cap. 15. & cap. fin. de homicidio.*

Sed quid ſi prudentes circa interpretationem doctè diſcordent? utraque opinio diſcordantium erit probabilis, & ſolummodò

unum

Digitized by Google

unum in altero erit probabiliter volitum : & in illo caſu perdit occaſio certitudinem moralem proximitatis ob oppoſitas opiniones Magiſtrorum, quibus convenit interpretandi ſubtilitas & poteſtas. *L. unica Cod. de Profeſſoribus qui in Vrbe Conſtantinopolitana.*

Excuſatur à peccato ſequens opinionem Magiſtrorum, quamdiù non apparuerit falſa. *Panormit. in cap. Capellanus, de feriis. Gloſſa & Textus in cap. unico. De poſtulat. Prælat. l. 6. & in cap. fin. de Sponſa duor. & in cap. cum venerabilis, de conſuetud. & l. regula ff. de juris & facti ignorantia. Innoc. in cap. per tuas 2. de Simonia. Gofredus & Tancredus in d. cap. Capellanus.*

QUÆRITUR XIX.

Vtrum ſeparari debeant Perſonæ diverſi Sexus ſæpè peccantes, & ſimul in una domo commorantes?

RESPONSIO.

VIdetur quod non : quia converſatio aut cohabitatio non eſt occaſio proxima, quæ ex ſe ſemper eſt cauſativa peccati; quamvis periculoſa ſit Sexuum commixtio. *Cap. diffinimus & ſeqq. 18. q. 2.*

Frigidi enim aut impotentes judicio Eccleſiæ poſt triennalem probam ſeparantur à thoro,

thoro, tollerantur tamen domicilio ut Frater & Soror. *Cap. conſultationi & cap. ſeq. de fridigis*, quamvis non ignoret Eccleſia periculum inquinationis, complexus, conjacentium duorum turpis & fœdæ dormitionis, oſculationis x. *Cap. nec aliqua* 27. *q.* 1. ex cohabitatione enim præſumitur acceſſus. *Gloſſa in c. oportet diſt.* 81.

Item Eccleſia pro bono pacis tollerat conjunctionem impuberum. *Cap.* 2. *de deſponſatione impuberum.* Qui conjugalem conſenſum non habent. *cap.* 8. *eod. tit.* Nec dici debet, quod peccent: quia qui peccat, non peccat legis auctoritate. *Cap. qui peccat.* 23. *q.* 4. Cum & in illis, quamvis ſint inhabiles ad copulam, periculum ſit luxuriæ in tactibus, & oſculis. *Argum. in cap.* 1. *de delictis puerorum.* Praxis novella cohabitantes per Sacramenti ſubtraxionem ſeparat, quos Eccleſia conjunctos tollerat: itaque deſtruere nititur juris patientiam & tollerantiam.

Nemo tamen poteſt generalem conſtitutionem Canonis immutare. *Cap.* 15. *requiſiviſti de Teſtamentis.*

Neque impedire quod in facto ſuo leges locum non habeant. *Cap. ſi diligenti de foro compet. l. inter debitorem & l. jus publicum. ff. de pactis.*

Item inter conjuges, quorum unus ex dolo non ex ignorantia filium ſuum de ſacro fonte ſuſcepit, oritur cognatio ſpiritualis,

Digitized by Google

tamen nolentes ſeparari non debent. *Cap.* 2. *de cognatione ſpirituali* : quamvis pars nocens in periculo eſt reddendi debitum. Methodus novella cogit per negationem Abſolutionis ad continentiam & ad ſeparationem à thoro & domicilio, ne inſtinctu diabolicæ fraudis nocens debitum petat, & tamquam canis ad vomitum redeat. *cap.* 4. *de cognat. Spirit.*

Econtra : humanius ſentit Eccleſia. *Cap.* 2. *de cognation. Spirit.* Quæ hoc periculum non ignorat; per cenſuras Eccleſiaſticas ad cohabitationem cogit. *Cap. fin. Iordane. De eo qui cognovit conſanguinem.*

Non cogit Eccleſia ad peccatum, ſed illud tollit. *cap. fin. de præſcript.* & jura Canonica genus humanum, ut honeſtè vivat, informant. *Extra, in proæmio*, & per ea nemo bene facere cogitur : ſed male agere prohibetur. *Cap. ad fidem* 23. *q.* 5.

Dicendum igitur : quod dicta cohabitatio non ſit proxima occaſio peccandi : cum Eccleſia illi patrocinetur. Non enim ſemper eſt inductiva peccati. Sed ſi accidat peccatum ; illud oritur ab intrinſeca deordinatione & concupiſcentia peccatoris, cui ſeptuagies ſepties relabenti parcendum eſt. *Cap. ſepties de pœnit. diſt.* 3.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆRITUR XX.

Vtrum Concubinarius poſſit Abſolvi non remota Concubina ?

RESPONSIO.

VIdetur quod poſſit Abſolvi, ſi eam nequeat commodè repudiare & proſcribere : res enim evadet impoſſibilis, cujus nulla eſt obligatio. *L. impoßibilium ff. de regulis juris.*

Quippè in moralibus remota commoditate removetur potentia, quia denotat commoditatem. *Gloſſa in cap. faciat* 22. *q.* 2.

Eccleſia Concubinarium Sacerdotem, qui poſt primam monitionem Concubinam non ablegat, ſuſpendit à beneficio, non vero ab executione ordinis. *Cap.* 4. *&* 5. *de cohab. Cler. & Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 14. *de reform.*

Ab eo, quamdiu occultus eſt, nec operis evidentia aut judicis ſententia factus notorius, licitè adminiſtrantur Sacramenta. Et hoc tenendum eſt ſine dubitatione. *Ita ait Lucius III. Papa in cap. veſtra de cohabitat. cleric.*

Si infallibiliter peccati periculo, ob occaſionem Concubinæ foret inquinatus, Eccleſiæ medicina deberet omni vigilantia occurrere

Digitized by Google

rere ſacrilegæ adminiſtrationi Sacramenti, materna charitate ſalutem hujuſmodi phrenetici conquirendo. *Cap. quid faciet 23. q. 4.*

Et impediendo ne temeraria manus extendatur ad horribilia. *Argum. in cap. 1. de custodia Euchariſtiæ.*

Eumque ab Altari repellendo, juxta illud Levitici. *Cap.* 21. Sacerdos in quocumque fuerit macula, non accedat offerre oblationes Domino. *Cap. Sacerdotes & cap. Sacroſancta. 1. q. 1. & quotidie de conſecrat. diſt. 2. & cap. Teſtamentum. diſt. 6.*

Tenetur enim, cum poſsit, impedire peccatum. *Cap. quia in omnibus de uſuris. cap. novit. de judiciis.*

Quia non caret ſcrupulo Societatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare.

Manifeſtum crimen ſupponitur ineſſe huic concubinario, cum per Eccleſiam fructibus beneficii privetur. *Vide Tridentinum citatum Seſſ. 25. cap. 14.*

Igitur concubinarius dignus eſt venia, quando habet occaſionem proximam inevitabilem ſine magno incommodo, ſcandalo, gravi difficultate, infamia, damno. Quia in foro poli id dicimur poſſe, quod commodè poſſumus. *Argum. in l. Nepos Proculo ff. de verb. ſignif.* Et quod per me non ſtat, mihi non eſt imputandum. *L. fin. cap. de conditionib. inſertis, & cap. Epheſiis diſt. 13. Gloſſa in cap. 9. de reſcript.*

Patet

Digitized by Google

Patet in muliere adultera , vel partum ſibi ſupponente alienum , cui licet continuò ſit cauſa damni , ſive malæ delatæ hæreditatis, pœnitentia non negatur , ſi viro prolis vitium aperire ob incommoda vereatur. *Cap. 9. Officii de pœnit. & remiſſ.*

Si vir vivente uxore contrahit cum ſecunda hoc ignorante; primâ mortuâ ad ſui petitionem non ſeparabitur à ſecunda , ne lucrum de ſuo dolo reportet. *Cap. 1. de eo qui duxit in Matrimonium , quam polluit.* Ille abſque dubio permanet in occaſione proxima conſuetæ fornicationis , ſi nuptiis conſenſum non ferat ; tamen , quia jus ſeparationi reſiſtit , occaſio redditur inevitabilis.

Objicitur. Qui habet conſuetudinem concubinæ eſt in continuò peccato , juxta illud *Eccleſiaſtici* 3. qui amat periculum in illo peribit.

Resp. Non dicitur quis amare , quod invitus tollerat. *Argum. in cap. magis timeamus , & cap. ad Deum 32. q. 5.* Cum quoque neceſſe ſit ob difficultates & incommoda , periculum ſubire , aut impoſſibile ſit illud ipſum evitare, non nocet periculum ſubeunti , quia cura vel cuſtodia parum proficit adverſus vim. *L. 32. ſi ea res ff. de actionibus empti & venditi.*

Resp. 2. Textus Eccleſiaſtici ſic habet. *Cor durum habebit malè in noviſſimo , & qui amat periculum in illo peribit.*

Ob-

Obſervat S. Antoninus *p.* 1. *tit.* 3. *c.* 10. quod ſermo ad litteram ſit de homine duri cordis, qui contemnit periculum damnationis connexum cum ſtatu criminis & damnationis, in quo ob duritiam cordis perſeveranter inſiſtit, tandemque periturus ſit.

Concubinarius, de quo ſermo eſt, obduratus dici nequit. Quia involuntarius cenſetur, qui vim patitur turbativam, aut inquietativam. *Argum. in Gloſſa in cap. ad audientiam, de his quæ vi.* Licet ex culpa ſua in caſum inciderit. *Cap. veniens, de ſponſalib.*

Quamvis coacta voluntas ſit voluntas. *Cap. merito quæritur* 15. *q.* 1.

Tamen in moralibus ubi metus gravis incommodi intercedit; conſenſus liber dici non poteſt. *Argum. cap. cum locum, de ſponſalib.*

Resp. 3. Cor durum non eſt, quod in Confeſſione dicitur contritum.

QUÆRITUR XXI.

Utrum quilibet ſive Sæcularis, ſive Regularis v. g. Monialis poſſit confiteri alteri Sacerdoti, quam ſuo Confeſſario ordinario, vel ſibi deputato?

RESPONSIO.

SI ordinarius vel deputatus Confeſſor vertat pœnitentiam in carnificinam & lanienam conſcientiarum, vel reddat animas

 anxias,

anxias, ſcrupuloſas, vel ſuſpectis Doctrinis infatuet, vel ſi ſit ignorans, vel ABSOLUTIONEM NEGET, poteſt quilibet, etiam Monialis, non petita licentia alteri confiteri. *Cap. placuit de pœnit. diſt.* 6. *ibi Gloſſa & DD.* Scilicet auctoritate hujus Canonis. Sufficit hoc à jure concedi. *Argum. in l. qui ſub.* §. *fin. ff. de conditionibus inſtitutionum.*

Tenetur extraneus Confeſſor credere cuilibet, etiam Moniali, alleganti juſtam cauſam declinandi ſuum ordinarium: quia non eſt veroſimile quod cum mendacio veniat ad pœnitentiam. *Gloſſa in d. c. placuit, de pœnit. diſt.* 6.

In illis circumſtantiis conſtitutus tenetur alienum Sacerdotem inquirere teſte Auguſtino, *cap.* 10. *de vera & falſa pœnitentia:* „Qui „vult confiteri peccata ut inveniat gratiam, „quærat Sacerdotem ſcientem ligare & ſol„vere; ne, cum negligens circà ſe extiterit, „negligatur ab illo, qui eum miſericor„diter monet, & petit, ne ambo in foveam ca„dant, quam ſtultus evitare noluit. *Habetur in c.* 1. *de pœnit. diſt.* 6.

Monialis, quæ eſt graviſſimè afflicta, & in magno periculo, eo quod ex phantaſia vel averſione, vel aliqua infirmitate (etiam ſine culpa ſui Confeſſoris) non poteſt illi confiteri: neque conveniens ut ſuperior ſciat: poteſt Sacerdos extraneus approbatus eandem abſolvere ex præſumpta licentia Superioris, qui vult, & debet velle miſeræ ſic

af-

Digitized by Google

afflictæ omni modo poſſibili ſuccurri. *Petrus Marchant in Tribunali tom. 1. Tract. 2. tit. 2. q. 3.*

Epikeia mitigat leges contrarias in prædictis circumſtantiis, & ex præſumpta voluntate agitur interdum ſine mandato. *L. 35. ſed & hæ. & l. Pomponius §. fin. ff. de Procuratoribus.*

Idque ex æquitate & quadam convenientia, & bona fide, cui cedunt apices juris. *Argum. in l. 29. ſi fidejuſſor §. quædam tamen ff. mandati.* Et generalis Procurator mutat ea, quæ à Domino ſpecialiter ſunt proviſa, ſi occurrat juſta cauſa, quam Dominus ignoravit. *L. 30. ſi hominem ff. mandati, & ibi Gloſſam linealem.* Sic Epiſcopus minuit vel auget pœnam à Papa Decretam. *Gloſſa in cap. tempora 26. q. 7.*

Nota denique: quod abhorreſcentia, quæ ex imaginativa, vel eſtimativa phantaſia oritur, ſolvat ſponſalia: *Angelus in Summa V. Matrimonium III. impedimentum XVI. num. 14.* Quæ Contractum indicunt naturaliter obligantem. *Gomezius tom. 2. cap. 9. num. 2. Covar. in cap. quamvis pactum part. 2. §. 4. num. 23.* Igitur abhorreſcentia rumpit civilis ſive poſitivæ obligationis vinculum de confitendo proprio Sacerdoti. *Cap. omnis, de pœnitent. & remiſſionib.* Quia ſi vinco vincentem te, à fortiori vinco te. *L. de acceſſionibus ff. de diverſis & temporalibus præſcriptionib. L. æquiſſimum, ff. ad Tertyllianum.*

QUÆRITUR XXII.

Utrum Epiſcopus poſſit inhibere vel limitare Privilegium Prædicatorum & Minorum, quo poſſunt abſolvere quoſlibet, etiam Moniales Epiſcopis ſubjectas?

RESPONSIO.

CLementina, *Dudum de Sepulturis*, concedit his regularibus facultatem abſolvendi quoſcumque ſibi confiteri volentes; quamvis pœnitentes ſint per ſtatuta aut inhibitiones prohibiti.

Quia D. Clementina circà princip. OMNINÒ caſſat extravagantem Benedicti XI. de Privilegiis, quæ hanc reſtrictionem horum Mendicantium Privilegiis adjecerat.

Particula, OMNINÒ, tanquam prægnans nullam modificationem aut limitationem recipit. *Zaſius citatus in Lexicon Schardii verb. Omninò fieri.*

Ideoque quando Lex OMNINÒ caſſatur: prorſus tollitur. *L.* 102. *derogatur, ff. de verbor. ſignificat.*

OBJICIS: Gregorius XV. in Bulla INSCRUTABILI, jubet Monialium, etiam exemptarum, Confeſſores approbari. Urbanus VIII. in Bulla CUM SICUT ACCEPIMUS, declarat generalem approbationem

non

Digitized by Google

non ſufficere ; ſed requiri ſpecialem ad audiendas Moniales: neque pro hoc Monaſterio datam porrigi poſſe ad aliud, nec pro una vice conceſſam extendi ad plures. Refert Barboſa *in Collect. DD. ad Concil. Tridentinum cap.* 10. *Seſſ.* 25.

Resp. Dicta Clementina, DUDUM, eſt conſtitutio facta in Concilio Vienenſi, quod fuit generale. Propterea reputatur conſtitutio Conciliaris : quia eam Papa fecit in Concilio Generali , vel ſacro Approbante Concilio. *Cap. ubi periculum , de elect. lib.* 6. *Clem.* 1. *de elect. cap. ſacro. de ſentent. excommunic. cap.* 1. *de pactis cap. penult. de ſponſalib. cap.* 10. *de judic. & ibi Decius in Princip. Rota diverſ. deciſ.* 123.

Pontifices non poſſunt derogare Conciliari conſtitutioni, quia Concilia Generalia non ſubmiſerunt ſua ſtatuta vel Decreta correctioni Pontificum , præter Tridentinum , quod declaravit omnia & ſingula ſub quibuſcumque verbis & clauſulis , quæ in eo ſtatuta ſunt , ita Decreta fuiſſe , ut in his ſalva ſemper auctoritas Sedis Apoſtolicæ & ſit, & eſſe intelligatur. *Cap.* 21. *ſeſſ.* 25. *vide Honorium van Axel tit. de conſtitution. num.* 11. *in ſumma Decretalium.*

Sed piè ſupponamus , quod conſtitutiones Conciliorum Papa poſſit tollere ſine Concilio. *Cap. ſicut Sancti & ibi Gloſſa diſt.* 15. *cap. ubi periculum* §. 1. *& ibi Gloſſa in v. Concilio de*

de elect. lib. 6. & cap. poſt. tranſlationem in fine de renunciat. & cap. ſunt quædam. & cc. ſeq. 25. q. 1. Felinus in cap. 1. num. 24. de conſtitut.

Non tamen poteſt eiſdem derogare, niſi ſpecialem faciat mentionem. *Baldus in l. humanum nct. 3. Cod. de legib. Felinus in cap. nonnulli de reſcriptis. Oldradus conſ. 326. num. 1. & ſeq. Archidiaconus in cap. 1. de conſtitut. lib. 6. Romanus in l. ſi vero §. de viro in 23. fal. ff. ſolut. Matrim. Vital. in Libro de clauſulis fol. 5. Capran. Conſil. 157. fuit* DISPUTATUM. *cap. nonnulli de reſcript. cap. eam te. De ætate & qualit. Iaſon. in l. fin. num. 4. Cod. ſi contra jus vel utilitatem publicam. Alvar. in cap. 1. in tit. de conſtit. feudali.*

Solum contra Concilium Tridentinum Pontifices reſcribunt ſine ſpeciali & generali derogatione: idque propter ſubmiſſionem factam. *Garz. de benef. part. 4. cap. 5. num. 25. & 30. & ſeq. Felinus in cap. at ſi Clerici §. de adulteriis. De Iudæis. Gocobat. de Conſil. l. 5. art. 19. num. 21.*

Igitur ſpecialis clauſula revocatoria requiritur reſpectu anteriorum Conciliorum; quia maximæ ſunt auctoritatis ob præſentiam Epiſcoporum & Doctorum ex orbe confluentium. *Argum. in cap. prudentiam in fin. de officio delegat.*

Imo vix, aut nunquam Papa alterat antiqua Concilia, quæ ſe non ſubmiſerunt revocationi Papali, ait Zoſimus Papa: „ Con-

„ tra

„ tra Statuta Patrum condere aliquid, vel „ mutare, nec hujus quidem ſedis poteſt „ auctoritas. Apud nos enim inconvulſis ra- „ dicibus vivat antiquitas, cui Decreta Pa- „ trum ſanxêre reverentiam. *Cap. contra* 25. *q.* 1.

Ideo dicit, quod contra Concilia facere non poſſit: quia durum nimis exiſtit tam ſolemnia Concilia alterare. *Cap. poſt tranſlationem in fin. de renunciat.*

Addo, quod conſtitutio Gregorii XV. INSCRUTABILI, hactenus non ſit executioni mandata. *Sancius in Selectis diſp.* 49. *num.* 16. Fortè ob rationes, quas refert Portel *part.* 2. *reſponſ. moral. caſu* 13. Neque in Belgio fuit authenticè publicata, neque uſu recepta: ſicut & dicendum eſt de Bulla Urbani VIII. *Baſſæus in verbo Confeſſarius* 3.

QUÆRITUR XXIII.

Utrum Jurisdictio Regularium quoad animæ tribunal ſit ab Epiſcopo?

RESPONSIO.

Regulares de Licentia Epiſcoporum audiunt Confeſſiones *Clem. Dudum de Sepult.* non tamen hujus prætextu examinandi ſunt ab Ordinariis: ſed eiſdem ſunt præſentandi ad effectum licentiæ obtinendæ. Quia

ubi via eſt determinata, alia eligi non debet, ne fiat fraus legi. *Gloſſ. in cap. conſtitutus de conceſſ. prabend.*

Jus commune Epiſcopis examinare volentibus obſtat. Igitur non valent idipſum attentare niſi oſtendant jus ſpeciale. *Cap.* 1. *de praſcription. lib.* 6. Quod non creditur à Pontifice emanaſſe contra Concilium generale Vienenſe, niſi per occupationem nimiam. *Cap. ex parte, de capellis Monachor*: vel per importunitatem petentium. *Gloſſ. in cap. ſi quando de reſcript.*

Papa enim, qui jura tuetur, non ea uno verbo penitus evertit, quæ excogitata ſunt multis vigiliis. *Cap.* 57. *de elect.* Neque tollit ſolus ſtatuta Concilii, quia Orbis major eſt Urbe. *cap. legimus diſtinct.* 93. *& ibi Gloſſ.* Saltem non eſt æquum quod ſtatuta Concilii revocet abſque requiſitione Concilii. *Gloſſ. in cap. ubi periculum de elect. lib.* 6.

Si Epiſcopus det licentiam, vel dare nolit (hoc denotat factum, & proprium motum, non cauſæ cognitionem. *Gloſſ. in Clem. Dudum de Sepult.*) in utroque caſu præſentati juriſdictionem accipiunt de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ. Quia rejectus ab Epiſcopo gaudet juriſdictione Papali. *D. Clem. Dudum.* Ergò & is qui ab Epiſcopo ad Confeſſoris munus licentiatur. Non enim decet quod defectus qualitatis, ob quem rejicitur ab Epiſcopo, faciat Perſonæ conditionem meliorem.

L.

L. 3. §. 1. ff. de donat. inter Virum & Vxorem cap. 18. de Prabendis lib. 6. Et una eademque res diverſo jure cenſeri non debet. *Cap. quia circà de Privilegiis.*

Joannes XXII. mandat decretalem, *ſuper Cathedram*, quoad omnia ejus capitula, prout jacet, firmiter obſervari : & gravamina vel injurias contra hujus tenorem illatas eliminari. *In extravag. frequentes, de judiciis, inter communes.*

Non enim validè Epiſcopi de beneficio juris diminuunt. *Gloſſ. in cap. 17. verſ. terminum de Prabend. lib. 6.* Idcircò juriſdictionem per Canones datam nec limitare, nec revocare valent. Quiap oſt impartitam auctoritatem à Papa, talis gratia Papalis intelligitur. *Cap. ſi Apoſtolica, de Prabend. lib. 6.* A qua recedendum non eſt niſi in caſibus in jure expreſſis. *Gloſſ. in cap. 8. de Prabend. lib. 6.*

Novi Regularium Jurium & Privilegiorum Oſores & Gloſſatores : ſed pravæ interpretationis prætextu jus Regularium non debet abſorberi, ex quo de intentione Papæ contraria non apparet. *Cap. 15. de Prabend. lib. 6.* Qui jus publicum, vel alienum intendit ſervare illæſum. *L. 2. §. ſi quis à principe ff. nequid in loco publico. L. nec avus Cod. de emancipationibus liberorum.*

Ante Concilium Vienenſe Benedictus XI. jus Regularibus Mendicantibus conceſſerat audiendi Confeſſiones petitâ tamtummodò, quam-

quamvis non conceſſa, Ordinariorum Licentiâ: & ait: „Ad hoc non murmuret „quæſumus ſæcularis clerus: non gerant „moleſtè Prælati quod circà præmiſſa ſic „duximus providendum . . . . advertant „quanta tollantur jurgia, & patenter con„ſiderent, quod eorum onera cum aliis „noſtro beneficio ſalubriter & quaſi neceſ„ſariò partiuntur. *Extravag. inter cunctas, de Privilegiis, inter communes.*

Prælati non intendentes ſuper egenum & pauperem, nec attendentes quod ſalus animarum ex his Papalibus conſtitutionibus proveniat, per novitates diſcordiam cauſant recedentes ab eo quod diu æquum viſum fuit, *D. extravagans, inter cunctas.* Indè in Eccleſia Dei turbatio naſcitur, ſuboriuntur diſſidia, pullulant inquietudines dum aliena jura turbantur, quia aqua, cujus curſus obturatur, multos meatus facit. *Gloſſ. in d. extravag. inter cunctas verſ. ydra.*

Tridentinum dat poteſtatem Epiſcopis examinandi Regulares, vel aliàs eos idoneos judicandi ad Confeſſiones audiendas. *Cap. 15. ſeſſ.* 23. tamen examini Regulares Privilegiati ſubjiciendi non ſunt juxta Concilium Vienenſe *in D. Clem. dudum*: quia aliàs idonei judicari poſſunt ex Teſtimonio Prælatorum ſuorum, qui eorum ſcientiam, & morum integritatem, & de moderno, & de præterito tempore norunt. *Argum. in cap. inter,*

inter, de purgation. Canon. Quorum Teſtimonium magis irrefragabile eſt, quam momentanea examinatoris inſpectio. Hoc indubitabile eſt: proinde nulla lex allegari debet. *L. ancillæ Cod. de furtis.*

Non intendit Tridentinum Concilio Vienenſi derogare; cum ad Concilii derogationem expreſſa mentio requiratur. *Felin. in cap. nonnulli de reſcriptis. Navarrus in Manuali c. 22. n. 265. c. ex parte de Capellis Monachor. cap. eam te. De ætate & qualitate.*

Concordanda ſunt jura juribus ut evitetur juris correctio. *Cap. cum expediat de electiom. lib. 6.* ideoque illi dumtaxat Regulares juxta Tridentinum obnoxii ſunt examini, qui non gaudent privilegio Concilii Vienenſis. Per hoc Concilium Vienenſe limitatur Tridentinum, quia uſitatum eſt poſteriores leges per priores corrigi, determinari, ſuppleri. *L. 27. ſed & poſteriores ff. de legibus & ibi Gloſſ.*

Conſtat igitur evidenter Regulares, quorum privilegium clauſum eſt in corpore juris, non eſſe ſcrutationi Epiſcoporum ſubjectos. Evidentia enim reſultat ex tenore Privilegii *in Clem. Dudum. Abbas in cap. auditus de præſcript.* præcipuè ſi illud æquipolleat juri, cujus ignorantia in culpa eſt. *Cap. ignorantia de Regul. jur. lib. 6.*

Epiſcopus teſtificanti Prælato de qualitate ſubditi credere poteſt, & debet. *Cap. poſt ceſſionem de probation. & cap. ſcripta, de fide inſtrumentorum.*

Digitized by Google

Prætextu ſcrupuli fides neganda non eſt publicæ perſonæ in iis, quæ in figura ordinarii judicii non contingunt. *Gloſ. in cap. poſt ceſſionem, de probationib. & Gloſ. in extravag. execrabilis verſ. publico de præbend.*

Non enim debet puritati conſcientiæ deeſſe judicium rationis. *cap. non ſolum de regularib. lib. 6.* præſtant Litteræ Ordinarii populari Teſtimonio: quod tamen probat qualitates ineſſe. *Cap. nullus ordinetur diſtinct.* 24.

Regularis à teneris annis plerumque lucubrationibus ignorantiam fugat: ſepiſſimè à ſuis examinatur, antequam præſentatur Epiſcopis. Ergo ab his ultra examinari non debet. *Argum. in l. unica cod. de athletis lib.* 10. quia fruſtra fit demonſtratio rei certæ demonſtratæ. *L. 1. ff. de dote prælegata.*

Nec obſtat quod Prælatus in præſentando errare poſsit circa capacitatem perſonæ: quia & Epiſcopus interdum errat in Approbando. Nemo enim eſt qui non errat. *Gloſ. in l. quamvis rationes ff. de conditionib. & demonſtrationib.*

Idoneïtas in ſuperlativo non petitur, ſed mediocris. Sicut doctior & ſanctior quidem eligendus eſt in Prælatum: tamen ſufficit quod non ſit malus. *Gloſſ. in c.46. de appellat.* Ita ſufficit quod Confeſſarius non ſit ſtupidus. Satis eſt quod in medio Doctorum ſtet, ad quos facilis in dubiis eſt acceſſus. *Argum. in l. 19. §. ſed juris ignorantiam ff. de juris &*

fa-

Digitized by Google

facti ignorantia. Propter aſſiſtentiam ſapientum virorum præſumitur cuncta ſcire. Ob hanc rationem Papa, etiam leviter eruditus, omnia jura in ſcrinio pectoris ſui cenſetur habere. *Gloſſ. & Textus in cap.* 1. *de conſtitutionib. lib.* 6.

QUÆRITUR XXIV.

Vtrum Epiſcopus debeat Perſonaliter examinare Approbandos?

RESPONSIO.

VIdetur quod examinatio debeat fieri perſonaliter per Epiſcopum, cum per eam diſpoſitivè fiat ordinatio Eccleſiæ de Miniſtris. In hoc enim Tridentinum. *Cap.* 15. *ſeſſ.* 23. elegit induſtriam Epiſcopi: & quia in ordinatione Eccleſiæ majus periculum vertitur, non videtur conceſſa delegandi poteſtas. *Gloß. in cap. fin. de officio delegati.* Nam circa majora cautius eſt agendum. *Cap. quieſcamus diſtinct.* 42.

Quando committitur proviſio incertæ perſonæ idoneæ, executor Papalis non ſubdelegat: quia ejus induſtria videtur electa in eligenda perſona. *Gloſ. & Textus in cap.* 12. *de officio delegati lib.* 6.

Accedit, quod pertinentia ad clavem juriſdictionis ordinariæ delegari poſſint. *Cap. cum Epiſcopus de officio ordinarii lib.* 6. non quæ per-

Digitized by Google

pertinent ad clavem ſcientiæ. *In principio diſtinct.* 20.

Clavis ſcientiæ nil aliud eſt quam peritia diſcernendi inter lepram & lepram. *Gloſſa in principio diſtinct.* 20. quæ qualitas, cum ſubjecto inſit, non migrat de ſubjecto in ſubjectum. *L. quis ergo, & ibi Gloſſ. ff. de peculio. l. 3. ff. pro ſocio* : conſequenter non eſt delegabilis.

Epiſcopis adjungit Synodus Diœceſana Examinatores juratos in concurſu ad beneficia Curata juxta diſpoſitionem Tridentini. *Cap.* 18. *ſeſſ.* 24. Non igitur licitum eſt Epiſcopis examinatorem in caſu non expreſſo nec in Synodo probatum aſſumere. Caſus legis attenditur. *L. proſpexit ff. qui & à quibus.* & ab ejus verbis non eſt recedendum. *Cap. ultim. & ibi Gloſ. de verborum ſignification.*

In Synodo ſeptima Conſtantinus Epiſcopus Cypri ait : non oportet nos qui Epiſcopi ſumus indigere doctrina, ſed aliorum eſſe Doctores. *Cap. convenientibus.* 1. *q.* 7.

Praxis contrarium docet, an bene? tu judica, interim nota illud vulgare : lege quod non cavetur, in recta practica non habetur. *Bald. in cap. nihil circa fin. de electionib.*

Digitized by Google

QUÆRITUR XXV.

Quomodo Regulares & alii examinari debeant per adjunctos Examinatores?

RESPONSIO.

NOn durius tractandi ſunt Regulares, quam Sæculares in ſcrutinio ſcientifico. Quia in Regularibus plus aliis viget diſcretio & ſcientia. *Gloſſa in extravag. Sedes Apoſtolica verſ. ſingulorum vultus, de officio delegati, inter communes.*

Eminens quidem ſcientia in Epiſcopis deſideranda eſt, & competens tolleranda. *Gloſſa in cap.* 19. *de election.* Cur conveniens ſcientia non tolleratur in inferioribus Eccleſiæ Miniſtris, ſed eminens rigidè inquiritur? *Cap.* 7. *de election.* cum tamen comparatione Epiſcopi, cæteri grex dicantur. *Diſtinct.* 15. §. *nomine vero & Gloſſa in cap. fin. de ætate & qualitate.*

Tridentinum tradens facultatem examinandi accipiendum eſt non ita amarè, ſed cum quodam temperamento, ut non requiratur nimia perfectio. *L. ſi quid venditor ff. de ædilitio Edicto.* Quia multa ſcientia inflat, & ejus imperfectum ſupplet perfectio charitatis. *Cap. cum. pridem §. pro defectu, de renunciation.*

Digitized by Google

Nimia indagatio vel examinatio quandoque vitanda eſt. *Gloſſa in cap. 9. conſtitutus, de purgatione Canonica.* Nec curioſè inquiri debet qualitas aut capacitas perſonæ. *Cap. cum deputati, de judiciis:* doctè & modeſtè, non rigidè, ut unum ex altero temperetur: ut doctrina non ſit rigida, ſed modeſtia docta. *Argum. in cap. ſunt namque, diſtinct.* 45. Curioſitas juri exoſa eſt. *Cap. 1. de renuntiation. lib.* 6. & ſubtilitas pariter reprobatur. *Cap. 6. de judiciis.* Repudiatur grandi & torto naſo, inquiſitio facta ſubtilis. *Cap. 1. §. parvo autem naſo diſtinct.* 49. Quæ magis oſtentationem examinatoris commendat, quam utilitatem proximi concernat. *Gloſſa in proœmio decretalium, verſ. Doctoribus.*

Inquiſitionum vel quæſtionum inutilium ad Sacramentum Pœnitentiæ catalogum non vacat texere. Interdum perſcrutator oculos trans Cælum levat, & ultra profundum maris & abyſſi in quoddam inane demergitur formans dialecticè quæſtiones in vanitate ſenſus, & obſcuritate mentis. *C. nonnè, diſtinct.* 37. Majores curas adhibere, quam res exigat, curioſitatis vitium eſt. *Gloſſa in c. 1. de renunciation. lib. 6.*

Examinator dum nimium emungit, elicit ſanguinem *Cap. fin. diſtinct.* 4. ſcilicet ſcandala, ſcommata, graveſque querelas: quas, cum nimium velit eſſe juſtus, in Epiſcopum transfert: ut de duritia damnabili notetur. *Cap. 1. de ſupplenda negligentia Prælatorum.*

Digitized by Google

Sed proſcripta ſit ab Epiſcopo culpa, quis enim Sanctum dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit? *Cap. non vos, diſtinct.* 40. Hic debet condigna reverentiâ ſupportari. *Cap. 2. de officio delegati lib. 6.* Non vero ille, in cujus mento interdum lanugo non eſt, qui nec glorioſus eſt ſcientia legum, nec experientia rerum. *Gloſſa in proœmio, verſ. Doctores libri 6. l. 1. §. ſed cum ſit, Cod. de Iuſtiniano Codice confirmando.*

Magiſtra rerum efficax experientia. *Cap. 6. de election. lib. 6.* Plurima docet *cap. 11. de reſcriptis:* Et ſcientiæ præbet nutrimentum *L. Legatis §. ornatricibus ff. de Legatis 3.* Additque quotidianus uſus de qualitate rerum judicandi peritiam. *L. 15. Cod. de judiciis.*

Si Examinator praxim Eccleſiæ per experientiam ſciret, non ignoraret quod uſus fuerit antiquus & communis mille ab hinc annis in tota Eccleſia Chriſtiana, quod ordinariè Epiſcopi requiſierint in Confeſſariis, ut ſufficientes reputentur, quod valeant inquirere peccatoris & peccati circumſtantias. *Cap. Deus, & cap. omnis, de pœnitentiis & remiſſionib.* Et ſciant peccata reſervata, irregularitates, obligationes reſtituendi, & de aliis valeant dubitare, quæ alii mediocriter eruditi intelligunt. Et ut nôrint conſulere peritiores. *Navarrus in Manuali cap. 4. num. 8.* Doctori tam illuſtri hanc pervetuſtam con-

F ſue-

Digitized by Google

ſuetudinem aſſeveranti credendum eſt. *Cravetta conſil.* 800. *num.* 8.

In exteriori foro ſatis eſt mediocrem quandam cauſarum peritiam habere, vel ſaltem Aſſeſſorem, ut ſit Judex. *cap. ſtatutum, de reſcriptis lib.* 6. Imo juris ignarus conſtitui poteſt Judex, ſi habeat experimenta cauſarum per conſuetudinem. *Authent. de judicibus in principio Collat.* 6. *Gloſſa in cap.* 1. *de pœnitentia diſtinct.* 6.

Examinandi non ſunt, quorum doctrina eſt publica, vel notoria. Notorium enim non eget probatione vel diſcuſſione. *Cap. quæ Lotharius. Cap. de manifeſta* 11. *q.* 1. *& cap.* 5. *& cap.* 13. *de appellation.* Quamvis aliàs nîl tam indubitatum ſit, quin ſollicitam dubitationem admittat. *Authent. de tabellionibus in medio collat.* 4.

Publici Theologiæ Lectores examini non ſunt ſubjiciendi, quorum Diſcipuli idonei judicantur, quia fons ſcaturiens major eſt quam rivus indè procedens. *Gloſſa in cap.* 14. *de Præbendis lib.* 6. Matrices fiſtulas, ex quibus aquæ ductus derivatur, vult lex intactas. *L. eos Cod. de aquæ ductu lib.* 11.

Propter prærogativam Doctrinæ ſub generalitate examinandorum non videntur includi. *Argum. in cap.* 5. *de Præbendis lib.* 6. Et cum ſpeciali nota ſint digni, & in Tridentino ſpecialiter non notentur, neglecti intelliguntur. *Gloſſa in cap.* 2. *verſ. dignitatum de Præbendis lib.* 6.

Digitized by Google

Sed comprehenduntur ſub numero eorum, qui ſine examine aliàs idonei judicantur juxta Tridentinum, cum eorum ſufficientia ſaltem præſumatur notoria: & in notorio præſúmpto ceſſent partes judicis. *Cap. 10. de Filiis Presbyterorum.*

Idonei etiam reputari debent Theologiæ Magiſtri, Profeſſores, Licentiati: quia per variationem nominis jus non immutatur. *Gloſſa in cap. 2. de Prabend. in 6.*

QUÆRITUR XXVI.

Vtrum Approbatio poſſit fieri ad tempus?

RESPONSIO.

Ait Tridentinum: „ Et Approbationem, quæ gratis detur, obtineat. *Cap. 15. Seſſ. 23.* Quæ verba indefinitè prolata generaliter ſunt intelligenda. *Cap. ſalvator circà finem 1. q. 3.* Abſque limitatione temporis, cum canon de limitatione ſileàt. *Cap. quod ſi dormierit 31. q. 1.* Vel ſimpliciter approbetur, vel rejiciatur: in disjunctivis unum præſtare neceſſe eſt. *Argum. in cap. 4. de reſcript. & regula in alternativis lib. 6.* De incarceratis aperta diffinitione ſancitum eſt, ut aut convictos velox pœna ſubducat, aut liberandos diuturna cuſtodia non commaceret. *L. 1. & l. fin. Cod. de cuſtodia reorum.* Igitur examinati, vel præſentati ſimpliciter

 ſunt

Digitized by Google

ſunt admittendi, vel rejiciendi. *Vide & perpende Clementinam, Dudum de Sepulturis.*

Quando Canones & Concilia indefinitè Epiſcoporum intentioni ſuffragantur, modos, limitationes, interpretationes contrarias rejiciunt, quare cum diminutione intelligi debent dicta Concilia in detrimentum & ſcandalum ſubditorum? *Argum. in cap. ſi Romanorum §. cum & ipſi diſtinct. 19. & ibi Gloſſa.*

Dubium non eſt, quod Approbatio ſit actus legitimus, qui non recipit conditionem neque diem. *L. 77. ff. de Regulis juris cap. 5. eod. tit. lib. 6.*

Item, vel eſt ſententia publica ſuper idoneitate Sacerdotis quantum ad animæ tribunal: ſane non eſt ſub conditione ſententia dicenda. *Cap. biduum 2. q. 6.*

Vel eſt Sacerdotis ad Confeſſarii munus electio: hæc non valet ſi ſit conditionalis, alternativa, incerta. *Cap. 2. de electionibus lib. 6.*

Vel eſt judicium, vel authentica Atteſtatio de Sacerdotis ſufficientia: judicium non debet eſſe in pendenti, neque dubium. *L. non quemadmodum ff. de judiciis.*

Denique temporanea Approbatio reprobanda eſt: quia & moribus noſtris non convenit temporalis adoptio. *L. quæſitum ff. de adoptionibus.* Neque dantur beneficia ad tempus. *Cap. præcepta, diſtinct. 55. & cap. Sanctorum, diſtinct. 70.* neque tempore peritura datur

tur inſtitutio *Cap. unic. de Capellis Monachorum lib. 6.* neque nuptialis deſponſatio fit ad tempus. *Cap. ultim. de conditionib. appoſitis.* Tempus enim non eſt modus tollendæ vel inducendæ obligationis. *L. obligationum §. placet ff. de actionibus & obligationibus.*

Ex temporanea Approbatione ſequeretur actum reagendi neceſſitas in infinitum. Sed infinitas reprobatur in jure. *Cap. 2. de reſcriptis lib. 6.* & Canonibus eſt inimica. *Cap. quia in tantum, de præbendis* : & oneroſa nil habens honeſti. *Authent. de referendariis ad finem collat. 2.*

Cum itaque hujuſmodi limitatio ſit impoſſibilis, utpotè contra jus, habetur pro non adjecta inſtar conditionis reprobatæ; idque in favorem Sacramenti. *Abbas in cap. fin. num. 3. de conditionibus, Textus in l. quæ ſub conditione ff. de conditionibus inſtitut. Roman. in l. impoſſibilis ff. de verborum obligat.*

Propterea abſolutè conceſſa intelligitur poteſtas taliter limitata : quare Epiſcopus Approbationem à ſe factam in dubium revocare non poteſt, quia exceptio rei judicatæ coram omni tribunali admittenda eſt. *Cap. 2. de exception. lib. 6.*

Qui Approbari vult, obligationem habet petendi Approbationem, eamque obtinendi ad effectum ut idoneus cenſeatur juxta citatum Tridentinum. Si igitur eandem ſemel obtineat, manet in poſterum deobligatus,

quia obligatio ſemel extincta inſtaurari non poteſt. *L.* 9. *cum ex cauſa Cod. de remiſſione pignoris:* nec res ſopita ſuſcitari. *Cap.* 28. *de reſcriptis*, & Epiſcopus functus eſt officio ſuo ſemel approbando. *Argum. in cap. in litteris : & in cap. venerabilis de officio delegati* : & de facto unius, ſæpius quæri non debet. *L. licet in fin. ff. nautæ, caupones, ſtabularii.*

Si non conſtet, quod lapſu temporis perſona Confeſſarii quoad mores aut Doctrinæ ſufficientiam ſit alterata : eandem improbandi vel reapprobandi manente eodem perſonæ ſtatu nulla eſt honeſta occaſio. *Cap. nulli de electionib. lib.6.cap. dilectiſſimi 8. q. 2. ibi Gloſſ.* neque debet aliquis invenire viam ad innovandum judicia ſua. *Gloſſa in cap.* 1. *ne ſede vacante.*

Cum tempus futurum ſit impertinens ad præſentem ſtatum perſonæ, incongruè fit approbatio cum limitatione ad illud, quia prudentia viri imitatur naturam. *Argum. l. adoptio 16. ff. de adoptionibus & §. minorem natu inſtitut. eod. tit.* Quæ non vult quod ab extranea & impertinenti cauſa pendeat actus ſuus. Sicut enim lex, ita & vir prudens, impertinentia deſpicit. *Cap. cum contingat de officio delegati. L. ad probationes Cod. de probationib.* Ideoque quod lex negat, natura non audet. *L.* 2. §. *ultim. ff. de uſufructu earum rerum quæ uſu conſumuntur.*

Item Examinator ad rationem ſui facti aſtrin-

Digitized by Google

aſtringitur, ſicut teſtis ſui dicti. *L.* 3. *Cod. de teſtibus.* Sed quæ ratio ei ſuffragari poterit, ſi unum teſtetur idoneum, & æqualem eſſe inidoneum, unum ad tempus, & parem generaliter approbet, cum in utroque ſupponatur idem jus ſive cauſa petendi, eadem conditio perſonarum & qualitas? idem factum diverſis menſuris metiri non debet. *Gloſſa in cap.* 1. *verſ. octo dierum de exceptionib. lib.* 6. & de ſimilibus idem debet eſſe judicium. *Cap. tranſlato de conſtitutionib.* ſed interdum favor vel odium lancium impedit æquum libramen. *Gloſſa in cap.* 1. *de ſententia & re judicata.* Ait Hieronymus, non afferamus ſtateras doloſas ubi appendimus, quod volumus, pro arbitrio noſtro dicentes, hoc grave eſt, hoc leve eſt. *Cap. non afferamus* 24. *q.* 1.

QUÆRITUR XXVII.

Quid operetur Clauſula in Approbatoriis Litteris, ad beneplacitum, vel ad revocationem noſtram?

RESPONSIO.

VOluntas Epiſcopi revocatoria, quam præfata Clauſula importat, non eſt mera, & quæ temere movetur; ſed juſtificata & reſtricta ad limites rationis, & ſecundum arbitrium boni viri. *Philippus Corneus conſ.* 92.

Digitized by Google

92. *placet mihi num.* 12. *Volum.* 2. *Abbas in cap.* 1. *de conſtitutionib.*

Nullatenus licet Superiori pro voluptate ludere in fortuna ſubditi. *Argum. cap. ſatis perverſum* 17. *q.* 7. *& cap. inventum, diſtinct.* 56. neque poteſt dici bene placere, quod abſque ratione placet. *Argum. l. Thais* §. 1. *ff. de fideicommiſſariis libertatibus.*

Ideoque Regulares in officiis ſuis ad nutum amovibiles, ſi ſine cauſa ſint remoti, per judices in integrum ſolent reſtitui tanquam ſpoliati. *Navarr. commentar.* 2. *de Regularib. num.* 65. *Rebuff. de pacific. poſſeſſor. num.* 274. *& ſeq. Azorius part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 11. *quæſt.* 9.

Revocationis ſola cauſa eſt delictum ſeu exceſſus, ſeu inſufficientia. *Ioannes à Platea in l. Iudices Cod. de annonis & tribut. lib.* 10. *Andreas Barbatia conſil.* 46. *Deum invocat volum.* 3. *Boër. Deciſ.* 149. *Calderin. conſ.* 3. *Capyc. deciſ.* 116.

Si enim tractu temporis illiteratura ſubrepat, aut corumpatur mentis aut morum integritas: tunc, cum ibi vertitur periculum animæ, contra factum ſuum venire poteſt Epiſcopus ſententiam revocando. *Gloſſa & Textus in cap.* 7. *de ſententia & re judicata.* Ex ſimilibus cauſis medicus Approbatus reprobari poteſt: ne per ejus imperitiam univerſitatis membra pereant. *L. ut gradatim* §. *reprobari ff. de muneribus & honorib.* res enim devenit ad illum ſtatum, à quo non potuit habere prin-

Digitized by Google

principium. *Hanc ſententiam tenet Gloſſa in cap.* 16. *de præbendis.*

Notandum eſt, quod ſi quis approbetur in Confeſſarium ordinarium alicujus communitatis; hujuſmodi poteſtas ordinaria ſonet in officium publicum, inſtar judicum, qui dantur cum nuda juriſdictione in negociis ſine adminiſtratione. *Panorm. & Gloſſa in cap. cauſa, de integrum reſtitutione.* Hujuſmodi poteſtas ordinaria non pendet à mera voluntate delegantis. *Cap. legatos, de officio legati lib.* 6.

Si conſuetudo evidenter declaret Confeſſarios Communitatis eſſe perpetuos: eiſque tribuat juriſdictionem ordinariam. *Gloſſa in cap. cum contingat. de foro competenti.* In conceſſione hujuſmodi officii obtinens conſuetudo ſervanda eſt. *Baldus in l. de quibus ff. de legibus. Innocentius in cap.* 1. *de officio Archidiaconi.* Status officii alteratur per curſum temporis legitimi. *Cap. cum de beneficio de præbendis lib.* 6. *& ibi Gloſſa.* Officia ex conſuetudine poſſunt eſſe perpetua: Apertus Textus in *Cap.* 1. *§. ſtatuentes de conſuetudin. lib.* 6. idque confirmant in multis locis ordinationes Regiæ. *Nicolaus Boërius deciſ.* 149.

Ideoque ſi Canon nil ſtatueret circa ſtatum officii ſpiritualis: tamen de eo judicandum eſſet ſecundum Ordinationes Regias. *Cap. lege, diſtinct.* 10. *& cap. ex antiquis, diſtinct.* 54. *& cap. Hiſtoria* 33. *q.* 2.

Igitur Ordinarius non poteſt pro libitu alterare

terare ſtatum officii. Solus enim Papa poteſt modum, vel legem apponere, quam vult. *Gloſſa in cap. 3. de præbend. lib. 6. cap. Eleutherius* 18. *q.* 2. Solus princeps immutat ſubſtantialia rei *Gloſſa cap. unic. de Capellis Monachor. lib. 6.*

QUÆRITUR XXVIII.

Vtrum quando Rex confert dignitatem Curatam, requiratur Epiſcopi approbatio, ſeu confirmatio?

RESPONSIO.

EX Privilegio Apoſtolico poteſt Laïcus, etiam fæmina conferre beneficia. *Cap. Adrianus, & cap. cum in Synodo, diſtinct.* 63. *Abbas, Felin. in cap. dilecto, de teſtib. & in cap.* 2. *de majoritate & obedientia.* Et poteſt excommunicare. *Gloſſa in cap. bene, diſtinct.* 96. *& in diſtinct.* 32. §. *verum, verſ. ducibus.*

Sed notandum eſt: quod Imperator & Rex non ſint meri Laici: quia conſecrantur, & inunguntur. *Cap. cum veniſſet* §. *unde in veteri de ſacra Unctione & cap. Venerabilem de elect. & Clem. Romani, de jurejurando* : & funguntur officio Diaconi & Subdiaconi. *Gloſſa in cap. Valentinianus, diſtinct.* 63. *Barboſa* : & in diverſis Eccleſiis ſunt Canonici. *DD. apud Panormitan. in cap. extirpanda* §. *qui vero, num.* 17. *de præbendis.*

Ideoque conferunt Decanatus. *Gloſſa in cap. Imperium diſt.* 10. *& Gloſſa in §. hinc etiam diſt.* 17. *vide Reſtaurum Caſtaldi quaſt.* 100. *num.* 16. *Ioannes de Selva de beneficiis part.* 2. *q.* 23. *num.* 48. *DD. apud Barboſam in cap.* 14. *de elect. & part.* 1. *de officio & poteſtate Epiſcopi tit.* 1. *cap.* 3. *num.* 29. *& in additam. ad collectan. in cap. cum longe, diſtinct.* 63. *Garzias de beneficiis part.* 5. *cap.* 1. *à num.* 214. *& ſeq.*

Igitur cum Rex ex privilegio confert beneficia : per talem collationem acquiritur beneficium : nec ullatenus requiritur inſtitutio, aut confirmatio : id enim operatur privilegium : nec alias eſſet privilegium. *DD. apud Garziam de beneficiis part.* 1. *cap.* 2. *num.* 34.

Neque requiritur Approbatio, quando poſſidetur beneficium Curatum, aut dignitas Curata. *Tridentin. ſeſſ.* 23. *de reformat. cap.* 15. *ibi plures DD. pœnes Auguſtinum Barboſam.*

Pariter conſuetudo tribuit jus plenum ex Sola electione : ita quod non requiratur alia confirmatio : ut hodie fit in Rectore Scholarium. *Baldus in Authent. habita, Cod. ne Filius pro Patre.* Habet enim electio ex conſuetudine vim proviſionis & confirmationis. *Abbas in cap.* 44. *nihil, num.* 10. *de elect. Oldradus Conſil.* 146. Ad hanc conſuetudinem non requiritur titulus, quamvis ſit contra jus. *Cap. cum dilectus, & ibi Abbas num.* 22. *de conſuetud.* Igitur taliter electus inſtar confirmati,

exer-

Digitized by Google

exercet ea, quæ ſunt juriſdictionis; v. g. Sacramenta adminiſtrat. *Cap. noſti. cap. ſuper eo, c. nihil eſt, de elect.*

QUÆRITUR XXIX.

Utrum Epiſcopus invito Parocho Proprietario poſſit in parœcia Confeſſionale alicui aſſignare, vel munus concionandi concedere, vel delegare poteſtatem Sacramenta adminiſtrandi?

RESPONSIO.

SUnt qui docent, quod poteſtas Parochorum ſit Juris Divini. *Durandus in 4. diſt. 24. q. 5. Sotus in 4. diſt. 24. q. 2. art. 2. & alii.* In prima primitiva Eccleſia commune erat Officium Epiſcoporum & Sacerdotum, & nomina erant communia, & Officium erat commune: ſed in ſecunda primitiva Eccleſia cæperunt diſtingui nomina & Officia: ait Hieronymus: „ Quod autem poſtea unus „ electus eſt, qui cæteris præponeretur; ſchiſ„ matis remedium factum eſt, ne unuſquiſ„ que ad ſe trahens Eccleſiam Chriſti rumpe„ ret. Nam & Alexandriæ à Marco Evange„ liſta uſque ad Eſdram & Dionyſium Epiſco„ pos, Presbyteri ſemper unum eligebant; & „ in excelſiori gradu collocabant: quomodo „ ſi exercitus ſibi Imperatorem faciat .... „ quid enim facit (excepta ordinatione) „ Epiſ-

„ Epiſcopus, quod Presbyter non facit? *Textus & Gloſſa in cap. legimus diſt.* 93. Patet ex hoc Textu & Gloſſa, quod Prælatio Epiſcopi ſit juris humani.

Sed quod juriſdictio Spiritualis Sacerdotis & Epiſcopi ſit Juris Divini, ait Textus in dicto cap. legimus: „ In Actibus Apoſtolo-
„ rum ad unius Eccleſiæ Sacerdotes ità Pau-
„ lus loquitur: attendite vobis & univerſo
„ gregi, in quo vos Fratres Spiritus Sanctus
„ poſuit Epiſcopos, ut Regatis Eccleſiam Dei,
„ quam acquiſivit ſanguine ſuo. Ac nequis
„ contentiosè in una Eccleſia plures Epiſco-
„ pos fuiſſe contendat: audiat aliud teſtimo-
„ nium, in quo manifeſtè declaratur, vel
„ comprobatur eundem eſſe Epiſcopum, atque
„ Presbyterum. Et his patet, quod juriſdictio Rectoris Eccleſiæ ſit à Spiritu Sancto.

Quidquid de eo ſit, conſtat, quod poteſtas Parochorum, in ipſis ſit radicata de jure communi. *Argum. cap. omnis utriuſq; de pœnitent. & remiſſionib. Sanchez de Matrimonio lib. 3. diſput. 31. D. Thomas in ſupplem. diſt. 3. q. 8. art. 4. & alii.* Neque eam per ſe poteſt Epiſcopus limitare, neque impedire, uti clari juris eſt: neque eam abſorbere. *Cap. pervenit 11. q. 1. & cap. nunc vero 9. q. 3. & l. 2. & 3. Cod. de Precibus Imperatori offerendis, & cap. 1. de Officio legati, & cap. per tuas, de majoritate & obedientia.*

Concurrit quidem Epiſcopus cum omni Pa-

Parocho : quia tota Diœceſis eſt Parochia Epiſcopi. *Cap. 2. de periculo Clericor. & cap. ad Apoſtolicæ, de donationib.* Conſulendum tamen ante factum, quando Eccleſia Parochialis non vacat, ne juriſdictionem circà Sacramenta deleget. *Gloſſa in Clem. Religioſi, verſ. Presbyteri, de Privilegiis.*

Quamvis Epiſcopus regulariter concurrat cum inferioribus Prælatis, *cap. cum ab Eccleſiarum, de Officio ordinarii* : tamen primò adeundus eſt immediatus Superior, & poſtea recurritur ad Epiſcopum. *Gloſſa in cap. 2. ne Clerici vel Monachi lib. 6.*

Suffragatur Tridentinum *Cap. 1. Seſſ. 24. de Reformatione* : Ubi de Matrimonio Textus ait : „ Qui aliter, quam præſente Pa„rocho, vel alio Sacerdote, de ipſius Pa„rochi, ſeu Ordinarii Licentia. Ex hoc Textu inclareſcit, quod Ordinarius veniat in ſubſidium, quia Parochus præponitur in littera tamquam habens naturalem, & primariam, & immediatam poteſtatem circà Sacramenti adminiſtrationem. Valet argumentum ex ordine litteræ. *Gloſſa in cap. quorundam, verb. Prædicatorum de electiòn. lib. 6. Gloſſa in Clem. unica de Baptiſmo, & Gloſſa in cap. bene quidem, diſtinct. 90. & Textus cap. nimis parva, de exceſſib. Prælatorum.*

Si concurrat delegatus Epiſcopi cum Parocho, abſque dubio & à fortiori præcedit Parochus : quia habet juriſdictionem in ſe-

ipſo

ipſo fundatam, & non ex alieno beneficio. *L. more ff. de juriſdiction. omnium judicum.* Conſequenter juriſdictio Parochi eſt naturalis, & favorabilis, & delegati juriſdictio ex accidenti. Naturalia potiora ſunt adventitiis. *L. quæritur ff. de ſtatu hominis, Text. in auth. ſi teſtis, Cod. de teſtibus.* Superinducta qualitas tanquam præjudicans reſtringenda eſt; ſed ordinaria tanquam naturalis & favorabilis eſt amplianda. *Gloſſa in Clem. 2. de Officio ordinarii.*

Denique Epiſcopus eſt Tutor & Curator omnium Eccleſiarum ſuæ Diœceſis; non immediatus, ſed mediatus: ideoque immediatus Eccleſiæ Rector erit præferendus Epiſcopo in defenſione jurium. Hæc eſt communis Doctorum opinio. *Ita Gloſſa in cap. 1. Nota primo, de immunitate Eccleſiarum.*

Deciſum eſt; quod Epiſcopus non poſſit habere Curam particularis Parochiæ, *Rota*, 14. *Decembr.* 1598. *apud Seraphinum deciſ.* 1804. *Petrus de Murgia quæſtion. Paſtoral. part.* 4. *q.* 1. *Seſſ.* 2. *num.* 17.

Generalis proviſio non ſe extendit ad locum, cui ſpecialiter eſt proviſum. *Ioan. Andr. in novell. in cap. cum Epiſcopus, de Officio Ordinarii lib. 6. Rub. ad legem fin. Cod. de Pactis Conventis.*

Loquor de Parochis Proprietariis, non de aliis, qui abſque inſtitutione totius Paro-

chiæ Curam gerunt : quia reſpectu eorum Epiſcopus eſt immediatus Parochus totius Diœceſis : ut contingit Hiſpali, Cordubæ, Granatæ, & alibi. *Sanchez lib. 3. de Matrimon. diſput. 31. num. 13.*

QUÆRITUR XXX.

Utrum Examinatores Epiſcopales recuſari poſſint ?

RESPONSIO.

EXaminatores vel deponunt apud Epiſcopum tanquam teſtes de ſufficientia Examinatorum.

Nota, quod teſtes debent eſſe ſine omni ſuſpicione. *DD. in cap. in litteris, de teſtibus.*

Si ſuſpicionem viderit Epiſcopus, vel Cancellarius ſtudii, quod aliquis Examinator odio, invidiâ, vel ſectâ deponat vota ſua contra Approbandum aliter quam debeat, poteſt propria auctoritate illum approbare. *Ioannes de Anania in cap. nemo, de Symonia.*

Vel Examinatores ſunt Judices ferentes ſententiam ſuper capacitate Examinatorum. *Argum. in l. Magiſtros Cod. de Profeſſorib. & Medicis lib. 10. & Clem. 2. de Magiſtris.*

Judices pro modica cauſa poſſunt recuſari. *Abbas & Gloſſa in cap. cum R. Canonicus, num. 5. de Officio delegati, cap. accidens, ut lite non conteſtata.*

Propterea

Propter*e*à examinandus habens aliquem ſuſpectum poteſt eum recuſare. *Abbas in cap.* 17. *cauſam quæ, de Officio delegati.*

Pariter ſi omnes Examinatores ſint ſuſpecti, poteſt contra univerſos excipere, quia ſtant ibi ut ſingulares. *Bartol. in l. Magiſtros Cod. de Profeſſoribus & Medicis, & Abbas in cap. propoſuiſti num.* 8. *de probationib. lib.* 10.

Si fingantur omnes conjuncti Examinatores inſtar cujuſdam corporis, hoc non obſtante (*quod tamen falſum eſt*) recuſatio locum habet., quia univerſitas poteſt recuſari. *Clem. Paſtoralis* §. *Piſana, de re judicata. Gloſſa in cap. in ſingulis, de ſtatu Monachorum. Cap. licet, de foro competenti.*

Plus dicit Vincentius, Synodum recuſari poſſe quando Metropolitanus vel majores, qui præſunt, ſunt ſuſpecti. *Cap. quod ſuſpecti* 3. *q.* 5. *& cap. conſulti, de Procuratorib. Abbas in cap.* 1. *num.* 14. *de judiciis.*

Si dicantur ſtare ut Conſultores Epiſcopi.

Ob ſuſpicionem recuſari poſſunt, & ſi non admittatur exceptio, Epiſcopus redditur ſuſpectus. *Argum. in cap. ſtatut.* §. *Aſſeſſorem, de reſcriptis lib.* 6.

Quia de facili movetur Epiſcopus ad dicta illorum; præcipuè ſi aſſumantur propter Epiſcopi imperitiam. *D. Abbas in cap.* 1. *num.* 14. *de judiciis.*

Igitur ſi examinandi ſuos Examinatores

ſuſpectos habeant; eoſdem recuſent. Vel ſi examinati indebitè rejecti ſint; appellent, vel inſtent ut reformetur & retractetur ſententia. Quia omnis ſententia lata de credulitate vel ad Conſilium ſapientum receptis teſtibus melius informatis, vel ſapientioribus conſulentibus oppoſitum, poterit retractari: *Ioan. Andr. in addit Speculat. tit. de homicidio §. 1. Verſ. ſed pone, refert Guilielm. de Suza in proœmio ff. Ioannes Andr. in cap. ſignificaſti de homicidio.* Dicit, quod ſententia Medicorum non tranſeat in rem judicatam. Idem dicit Baldus *in l. ſi ab hoſtibus §. 1. ff. ſolut. matrim. & Flor. in l. ſi Dominus ſervum & l. ſeq. ad finem ff. ad legem Aquiliam.*

Propterea poteſt retractari hujuſmodi ſententia. *Roman. Conſ.* 228. *ſecutus Dominum Anton. in cap. propoſuiſti, de probationib.*

Hodie examinandi (quamvis ſufficienter ſint inſtructi in Caſuiſtis, in Scholaſticis, vel in Sana Doctrina D. Thomæ) dummodo non ſint imbuti principiis Novellæ Doctrinæ, aut nolint reſpondere contra legem conſcientiæ, ne ædificent ad gehennam: *Cap. litteris, de reſtitut. ſpoliat. & cap. fin. de præſcript.*

Et ob id ſciant ſe injuſtè rejiciendos, vel de facto eſſe rejectos, poſſunt Epiſcopum cum ſuis Examinatoribus recuſare, & inſtare apud Regium Tribunal ſibi deſignari ſcrutatores non ſuſpectos, aut ſententiam latam retractari.

Quia

Digitized by Google

Quia illis illata, vel inferenda eſt injuria: quam Regium Tribunal ex Officio ſuo debet repellere. *Cap. Regum* 23. *q*. 5. *& cap. Filiis & Nepotibus* 17. *q*. 7.

Et pro viribus tenetur ſanctiones & ordinationes Regias tueri, ne ſupervacuè & fruſtra editæ videantur. *L.* 1. §. *ſi quis Vxori ff. de dote prælegata*, *& l.* 3. *ff. quando dies Legatorum*, *& l.* 31. *ff. de evict.* Inter quas extat Authentica ordinatio Philippi II. Hiſpaniarum Regis de legenda publicè Doctrina D. Thomæ in omnibus Univerſitatibus Belgii directa ad Archi-Ducem Erneſtum ann. 1594. menſis Decembris 28.

Æquum ergò eſt ut Sectatores D. Thomæ protegat Regalis authoritas: *L. ſervo invito* §. *cum prætor ff. ad Trebellian.* Cum hi ad exaltationem & ſplendorem Reipublicæ Chriſtianæ adimpleant ordinationem Regiam, obedientes Imperio Magiſtratus. *Regula* 24. *quod quis lib.* 6.

QUÆRITUR XXXI.

Vtrum ſatisfactio ſit explenda ante Abſolutionem?

RESPONSIO.

VIdetur quod olim ſatisfactionis expletio præcedebat Abſolutionem. Probatur ex *Epiſtola* 91. *Leonis Papæ*, in qua ſcribitur.

Digitized by Google

„ Mediator enim Dei & hominum homo
„ Dominus Jeſus Chriſtus hanc Præpositis
„ Eccleſiæ tradidit poteſtatem : ut confitentibus pœnitentiæ ſatisfactionem darent, & eâdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent, habetur *in cap. multiplex, de pœnit. diſtinct.* 1.

Idem probatur ex Concilio Arauſicano & Carthaginenſi, & Niceno apud Gratianum 26. q. 6. *cap. qui recedunt & ſeqq.*

Sed notandum eſt, quod reconciliatio alia ſit publica, alia privata. Publica reconciliatio eſt, quando Pœnitentes ante Eccleſiæ ingreſſum publicè præſentantur, & per impoſitionem manus Epiſcopalis publicè reconciliantur.

Privata vero reconciliatio eſt de occultis. *Gratianus* §. *ecce quod ab Epiſcopo* 26. *q.* 6.

Occultum peccatum hic accipitur pro eo, quod teſtes quidem habet, ſed tamen diſtinguitur à notorio, famoſo vel publico. *Cap. fin. de temporib. ordinat. & ibi Abbas, & in cap. quæſitum, de pœnit. & remiſſ.*

Probatur : Quia de his occultis peccatis non reconciliat Sacerdos ſine juſſione Epiſcopi extra neceſſitatem. *Cap. Presbyteri* 26. *q.* 6.

Et ipſe Epiſcopus pœnitentiam interdum pro hujuſmodi peccatis injungit. *Gloſſa d. cap. Presbyteri* 26. *q.* 6.

Ergò

Ergò videtur quod illa peccata ſint aliquatenus nota hominibus, cum Epiſcopus ea perſtringat.

Tamen quia illa peccata non ſunt notoria & vulgatiſſima univerſam Urbem commoventia, non dicuntur publica, quibus ſolummodo ſolemnis injungitur Pœnitentia, *c. fin.* 26. *q.* 6.

Ut non tantum proſit pœnitenti ad ſalutem, ſed & aliis ſit in exemplum. *Cap. in actione in fin. de pœnit. diſt.* 1.

Non loquitur Leo Papa *in d. Epiſtola* 91. de privata reconciliatione, vel quæ fit in foro pœnitentiali: ſed de reconciliatione ſolemni, quæ fit in foro fori: quia loquitur de poteſtate, quam Chriſtus tradidit Præpoſitis Eccleſiæ.

Probatur ex Concilio Carthaginenſi: „Si ſupervixerit quamvis privatam obtinuerit reconciliationem, ſubdi debet ſtatutis „pœnitentiæ legibus, & ſolemniter debet „reconciliari. *Cap.* 15. *qui*, 26. *q.* 6.

Conformiter ait Nicenum Concilium: quod ſi deſperatus aliquis recepta communione ſupervixerit, ſit inter eos, qui ſola oratione communicant. De omnibus enim his qui à corpore recedunt, in tradendo eis Communionem Cura & probatio ſit Epiſcopi. *Cap. de his* 26. *q.* 6.

Solebat Eccleſia Pœnitentes abſolvere in foro conſcientiæ à peccatis non expletâ ſatisfactione. Patet in invaſore & depopulatore

Digitized by Google

ſacri Chriſmatis, vaſorum ſacrorum & rerum Eccleſiarum, cui injungebatur ſeptennis pœnitentia : tamen quarto anno reſtituebatur communioni fidelium & menſæ Domini. *Cap. de viro* 12. *q.* 2.

Item Eccleſia olim conceſſit poſt ſeſquiannum, ut Sacerdos fornicarius, cui indicebatur decennis pœnitentia, ad Communionem Euchariſtiæ & Sanguinis accederet. *Cap. Præsbyter, diſt.* 82.

Item, fuit Eccleſiæ uſus & conſuetudo, quod reconciliabantur in Cœna Domini publicè pœnitentes ad percipienda Corporis & Sanguinis Domini Sacramenta. *Cap. in Cœna, de conſecrat. diſt.* 2. *& cap. de pœnitentibus, de conſecrat. diſt.* 3.

Per hoc abrogatus eſt Prior Eccleſiæ uſus; quod publice pœnitentes ſtarent in Eccleſia quotannis in Cœna Domini non communicantes cum aliis in Euchariſtia vel oſculo. De quo vide. *Cap. in capite, diſt.* 50. *& Gloſſam ibidem.*

Illa reconciliatio non erat ſolemnis, quæ ſolum fit per Epiſcopum. *Cap.* 1.26. *q.*6. Sed privata, quia fieri poterat per ſimplicem Sacerdotem. Vide Gloſſam *in cap. de pœnitentibus, de conſecrat. diſt.* 3. Erat hæc Abſolutio ad reincidentiam, ſimilis de qua habetur. *Cap.* 22. *eos, de ſentent. excommunicat. lib.* 6. quia iterum poſt octavam Paſchæ quotannis debebant pœnitentes expelli, donec impleta

eſſet

eſſet pœnitentia. *Gloſſa in cap. in capite. diſt.* 50. *& Gloſſa in cap. pœnitentibus, de conſecrat. diſt.* 3.

Peccatum eadem qualitate, qua productum eſt ad eſſe, per pœnitentiam expurgari debet. Si publicum ſit, publicè expiari debet, ſi occultum, occultè punitur. *Cap. ſtatuimus, de maledic. & ibi Abbas & cap.* 1. *de pœnitent. & remiſſ.* & reprehenduntur qui infligunt pœnitentiam publicam pro delicto occulto. *Cap. fin. de his qui proprios filios occiderunt.*

Pœnitentiæ publicæ, quæ per tempus præcedebant Abſolutionem, non erant Sacramentales: hi enim actus quatenus ab homine peccatore eliciuntur, non niſi impropriè dicuntur ſatisfactorii, cum neque pro culpa, neque pro pœna æterna per illos ſatisfiat, quia ſine amore Dei nemo conſequitur veniam, neque invenit gratiam: hoſtis enim Dei eſt qui non purgatur à culpa. *Cap. ſunt plures, de pœnit. diſt.* 3.

Ad id reflectentes D. Thomas *in.* 4. *diſt.* 19. *q.* 2. *art.* 5. Dominicus Sotus, *&c.* arbitrantur, quod pœnitentia ſolemnis vel publica inter abſolvendum imponebatur: nec erat neceſſarium quod ejus executio eſſet ſecreta poſtquam peccatum ſcandalum ſeminaverat in civitate.

Pœnitentia diu præterita non poteſt elevari per Abſolutionem futuram, quæ eſt forma

Digitized by Google

Sacramenti Pœnitentiæ : ſed debet ſatisfactio vel ſtatim ante Abſolutionem injungi. *Gloſſa Ioannis Andreæ in Clem. Dudum , de ſepulturis , ubi injunctio pœnitentiæ Abſolutioni præmittitur.*

Vel poſt Abſolutionem antequam Confeſſor ad extraneos actus divertat : quia quod fit incontinenti videtur ineſſe. *L. petens Cod. de pactis.*

Poſtpoſuit Bonifacius VIII. Sacramentalem ſatisfactionem Abſolutioni , ait enim : „ Poteſt Archiëpiſcopus dum viſitat, Confeſ„ſiones ſubditorum Suffraganeorum audire , „ ac abſolvere Pœnitentes , & ipſis pœniten„tias injungere ſalutares. *In cap. fin. de cenſibus lib. 6.*

Item , eandem poſtpoſuit Tridentinum *Seſſ. 6. cap. 4.* „ Unde docendum eſt Chri„ſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum „ multò aliam eſſe à Baptiſmali : eaque con„tineri non modo ceſſationem à peccato , „ verum etiam eorundem Sacramentalem „ Confeſſionem ſaltem in voto , & ſuo tem„pore faciendam , & *Sacerdotalem Abſolutionem : itemq; ſatisfactionem per jejunia* , &c.

Non igitur ex tollerantia Eccleſiæ , ſed ex poſitiva ordinatione ſua poſtponitur ſatisfactio Abſolutioni.

Valet enim Argumentum ex ordine litteræ. *Gloſſa in cap. quorundam , v. Prædicatorum de elect. lib. 6. Abbas in cap. Nicolao de appellat. & in cap. ſedes , de reſcript. & in cap. avaritia ,*

tiæ, de præbend. & Gloſſa in cap. fin. de pactis lib. 6. & Gloſſa in l. ſi fundum ſub conditione §. his verbis. ff. de legat. 1.

Ex ordine verborum præſumitur voluntas Concilii diſponentis & ordo intellectus. *L. hæredes mei §. fin. ff. ad Trebell. & Argum. in cap. in Chriſto Patre, de conſecrat. diſt. 2.*

Et quod prius eſt in voce, præſumitur prius eſſe in ſenſu. *L. ſi communis ſervus ff. de ſtipulat. ſervorum. & Gloſſa in cap. quoniam Abbas, de Officio delegati.*

Ex his igitur corruit Novatorum inſtructio, qui docent, quod pœnitentiæ ſeu ſatisfactionis executio præcedere debeat Abſolutionem.

Fortius probatur ex Cenſura Pontificis in Petro de Oſmâ Doctore Salamanticenſi damnantis inter multas hanc propoſitionem. NON PERACTA PŒNITENTIA CONFITENTES ABSOLVI NON DEBERE. *Bulla 17. Tom. 1. Bullarii*: Cujus Titulus, damnatio quarundam propoſitionum à Petro de Oſma, & aliis temerè proditarum..... omnes & ſingulas propoſitiones prædictas falſas, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ fidei contrarias, erroneas, & ſcandaloſas, & ab Evangelica Veritate penitus alienas, Sanctorum quoque Patrum Decretis, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus contrarias fore, ac manifeſtam hæreſim continere, dictâ auctoritate declaramus.

Cum

Digitized by Google

Cum Papa omnia jura in ſcrinio pectoris ſui habeat. *Cap. 1. de conſtitutionib. lib. 6.* ſi extaret lex Chriſti prohibens Abſolutionem non peractâ pœnitentiâ, ea non ignoraretur à Papa neque à ſapientibus & Conſiliariis aſſiſtentibus, qui dicuntur pars corporis ejus, *Gloſſa in d. cap. 1. de conſtit. lib. 6.* graviterque Papa erraret declarando dictam Propoſitionem, NON PERACTA PŒNITENTIA CONFITENTES ABSOLVI NON DEBERE, ab Evangelica Veritate pœnitus alienam, & manifeſtam hæreſim continere.

Cave Novator ne dicas Papam errare quando ex officio Paſtoris, ne inficiantur oves, peſtifera dogmata proſcribit. *Cap. majores, de Baptiſmo & cap. hac eſt fides* 24. *q.* 1.

Chriſtus oravit pro Petro, ut non deficeret ejus fides. Ex quo infertur quod fides Chriſtiana deficere non poteſt, quia non eſt præſumendum quod Chriſtus fuit fruſtratus labiis ſuis. *Abbas in d. cap. majores num.* 2.

Pone cuſtodiam ori tuo: quia in Scriptura legitur: Beſtia quæ tetigerit montem lapidabitur. *Gloſſa in cap. firmiter v. incomprehenſibilis, de Summa Trinitate.*

Cave ne dixeris deciſionem Papalam legi Chriſti eſſe contrariam. Audi quod dicitur. *In cap. ſunt quidam, 25. q. 1.* „ Ubi vero „ aperte Dominus vel ejus Apoſtoli, & eos „ ſequentes Sancti Patres ſententialiter ali- „ quid definierunt: ibi non novam legem

„ Ro-

Digitized by Google

„ Romanus Pontifex dare, ſed potius quod „ prædicatum eſt uſque ad animam & ſanguinem confirmare debet. Si enim quod „ docuerunt Apoſtoli & Prophetæ deſtruere „ (quod abſit) niteretur, non ſententiam „ dare: ſed magis errare convinceretur. Sed „ hoc procul ſit ab eis, qui ſemper Domini „ Eccleſiam contra Luporum inſidias cuſto- „ dierunt.

Fingitur à Novatore lex Chriſti, ut ſub ſpecioſo vocabulo ordo Sacramenti invertatur, & ſub ſpecie pietatis virtutem ejus abneget. *Cap. 13. excommunicamus §. quia vero, de hæreticis.* Simplicium Sacerdotum animis falſum ſuggerit, & verum ſupprimit. An impune? non. *Argum. in cap. 20. ſuper litteris, de reſcriptis.* Quia Papa Anathemate ferit univerſos, qui de peccatorum confeſſione, Matrimonio vel reliquis Sacramentis aliter ſentiunt vel docent, quam Romana Eccleſia prædicat vel obſervat; *Cap. 9. ad abolendam, de hæreticis.*

Non eſt Doctrina, neque Antiqua Praxis Romanæ Eccleſiæ exigere ante Abſolutionem ſatisfactionis executionem: quia hanc Doctrinam Eccleſia damnat in Petro Oxomenſi.

Non eſt in poteſtate Novatorum alterare Antiquum Modum aut ritum in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ. Quia quod conſuetum eſt fieri, non dicitur arbitrarium,

Digitized by Google

rium , ſed neceſſarium. *Baldus in l. quicumq; in 4. nota. Cod. de ſervis fugitivis & cap. ex parte, de cenſibus.*

Quando datur poteſtas clavium dimittendi aut retinendi peccata , data intelligitur juxta modum & ritum conſuetum, quia Officiales deputati ad vendendum gabellas alicujus communis , non poſſunt cum emptoribus inire pacta contra ſolitum morem , & pacta aliter inita per eos ſunt nulla ; quoniam intelligitur eis conceſſa poteſtas , ut vendant more ſolito. *DD. in l. 1. Cod. de paſcuis publicis , vel privatis lib. 11.*

Igitur dum Novator modum & ritum Eccleſiæ conſuetum in Sacramento Pœnitentiæ alterat : eſt poteſtatis non legitimus uſus , ſed damnabilis abuſus contra formam mandati. *Argum. in cap. 22. cum dilecta , de reſcriptis , & cap. 14. licet in beato , de accuſationibus & cap. cum olim , de officio delegati ,* & contra obſervantiæ vetuſtatem , quæ ſemper pro lege habetur. *L. 2. ff. de aqua pluviali arcenda.* Recedendum non eſt ab eo jure, quod diu æquum viſum eſt. *L. 2. ff. de conſtitutionib. Principum.* Ibi merito Baldus reprehendit tentantes innovare bonum regimen civitatis.

XXXII. QUÆ-

QUÆRITUR XXXII.

Vtrum Pœnitentiæ juxta Antiquos Canones ſint injungendæ?

RESPONSIO.

NAvarrus *in cap. falſas num.* 14. *de pœnit. diſt.* 5. oſtendit quadraginta ſex Canones Pœnitentiales, quos colligit Hoſtienſis. *In ſumma de pœnit. & remiſſion §. qua pœna*, ad forum exterius & politicum pertinere.

Horum Canonum auſteritatem quoad forum externum reprobat Pelagius Papa ſcribens Florentino Epiſcopo in hæc verba. „ Et „ quamvis multa ſint quæ in hujuſmodi ca- „ ſibus obſervari Canonicæ jubeat ſublimita- „ tis auctoritas: tamen quia defectus noſtri „ temporis, quibus non ſolum merita, ſed „ corpora ipſa hominum defecerunt, diſtri- „ ctionis illius non patitur manere cenſuram. *Cap. fraternitati, diſt.* 34.

Quamvis olim publicæ pœnitentiæ fuiſſent taxatæ: tamen á mille ducentis annis & ultra arbitrariæ factæ ſunt. Diſtingue ergo tempora & concordabis Scripturas. *Cap. ſi peccaverit.* 2. *q.* 1.

Tempore Hieronymi, qui vixit ſæculo quarto, ſtatuuntur Pœnitentiæ in arbitrio Sacerdotis. *Cap. menſuram, de pœnit. diſt.* 1.

Et

Digitized by Google

Et in eodem ſæculo S. Leo Papa ait : tempora pœnitudinis habita moderatione conſtituenda ſunt tuo judicio. *Cap. tempora, 26. q. 7.*

Adjungitur ex Nicolao Papa : „ Tamen, ſi illius converſionem & lachrymarum fontem in omnibus videritis floridis actionibus & optimis operibus pullulare, humanitus circa eum veſtra ſollicitudo pervigil appareat, mitiſque omnibus demonſtretur. *Cap. latorem, circa fin. 33. q. 2.*

Ita manſuetudo pœnitenti demonſtranda eſt, ut tamen talis pœnitentia imponatur, qualis ſaluti pœnitentis congrua judicabitur. *Innocentius III. in cap. Deus, qui, de pœnitentiis & remiſſion.*

Deniqüe Tridentinum *Seſſ. 14. cap. 8.* Canones Pœnitentiales dudum abolitos ad uſum reducere noluit, ſed prudentiæ Confeſſoris pœnitentias commiſit, dicit enim : „ Debere Sacerdotes Domini quantum ſpi- „ ritus & prudentia ſuggeſſerit pro qualitate „ criminum & pœnitentium facultate ſaluta- „ res & convenientes ſatisfactiones injun- „ gere.

Dicit, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, ut oſtendat Eccleſiam nullam certam regulam in ſecreto pœnitentiæ foro voluiſſe præſcribere, & Canones Pœnitentiales noluiſſe ſopitos reſuſcitare.

Propterea Rituale Romanum, *tit. de ordine adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ*, Expreſsè pro-

prohibet, ne unquam pro peccatis occultis quantumvis gravibus, manifeſta imponatur pœnitentia. Idem tradit Paſtorale Mechliniense eodem titulo.

Quia directè vel indirectè verbo vel ſigno vel alio quovis modo non eſt ullatenus prodendus peccator vel peccatum. *Cap. omnis, de pœnitent. & remiſſionib. & cap. Sacerdos, de pœnit. diſt. 6.*

Non refert, ut Confeſſarius incidat in pœnam, quocumque modo peccator aut peccatum reveletur. *Abbas in d. cap. omnis num. 7. & 8. de pœnit. & remiſſ.*

Sufficienter exprimitur peccatum vel peccator per gravem & publicam pœnitentiam, quia gravis pœna indicat gravitatem peccati vel peccatoris, cum pœna ſit menſura culpæ. *Cap. ſane, de officio delegati, & cap. fin. de tranſact. & cap. ſicut dignum, de homicid.* Ubi autem non eſt inorme quid menſurandum, menſura gravis locum non habet. *Vide Gloſſam in Regula 23. ſine culpa, lib. 6.*

Pœnitentia gravis ſignum eſt gravis peccati, ſicut circulus indicat vinum venale. *Gloſſa in cap. ſignum, de Conſecrat. diſt. 2.* Et ſicut annulus, alio non probato, indicat Matrimonium. *Cap. illud quoq; de præſumpt. & cap. fœmina 30. q. 5.* Et arra eſt ſignum emptionis. *Inſtitut. de empt. & vendit. in princip.*

Si dicas, quod pœnitentia gravis (niſi ſit jure determinata pro certa ſpecie peccati) ſit

ſig-

ſignum æquivocum ad plura, & nil ſpecialiter probet. *Argum. cap. in præſentia, de probationib.* Tamen, quia publica & gravis pœnitentia notat pœnitentem tamquam gravem peccatorem, vel quia fundat præſumptionem generici vel ſpecifici peccati, ſat violatur ſigillum, cum vel peccator vel peccatum lethale revelatur, *contra d. c. omnis, de pænit. & remiſſ.*

Dubia quidem probatio non probat, niſi quando neceſſario alterum duorum concludit, quorum alterum ſufficit. *Anton. de Butrio in cap. plerumq; in fin. de reſcriptis.*

Imprudenter Confeſſarius peccata in ſecreto ſibi prodita publicè mulctat: quia non eſt corrector erroris, ſed proditor. *Cap. ſi peccaverit*, 2. *q.* 1.

Publica dumtaxat peccata, & quæ in multorum conſpectu commiſſa ſunt, pro modo culpæ publicè puniri debent. *Trident. Seſſ.* 24. *cap.* 8. *de reformat.* Non verò in foro pœnitentiæ ſecreto; ſed in foro exteriori per Epiſcopum feriuntur, cui datur facultas juxta Tridentinum citatum id pœnitentiæ genus in aliud ſecretum commutandi. *Navarr. in Manual. cap.* 8. *num.* 10.

Colligitur ex hoc loco Tridentini, quod Epiſcopus non poſſit crimina, quæ in conſpectu ſuo & paucorum fiunt, publicè punire: quia requiritur quod in conſpectu multorum commiſſa ſint. Dicitur enim id ſolus ſcire, quod cum paucis novit.

Ly

Ly, ſolus, non excludit paucos, ſed multitudinem, *Cap. ſi ſolus, diſt.* 8. juxta illud Scripturæ, quomodo ſedet ſola Civitas, id-eſt, cum paucis. 15. *q.* 7. §. *ſi ſolus*, & 15. *q.* 7. §. *de his*, & *Gloſſa in cap. ſi peccaverit*, 2. *q.* 1.

Ultimo notandum eſt Decretum Synodi Mechlinienſis ſub Hovio *tit.* 5. *cap.* 1. Ubi decernitur his verbis : „ Confeſſarii prudentes ſint ac circumſpecti, non ſolum in „ injungendis pœnitentiis (ideoque etiam „ pro peccato occulto pœnitentiam publicam „ non imponant) verum etiam in examinando Pœnitentes, præſertim circà vitia carnis, ne indiſcretis interrogationibus eos „ doceant peccata quæ ignorant, vel aliter „ ſcandalizent.

Publica noxa publico eget remedio. §. *His auctoritatibus v. hæ ergo ſecreta, de pœnit. diſt.* 1. idcirco improbabilis eſt conſuetudo, qua quis cogitur occulta publicare : quia hæc multos à pœnitentiæ remediis arcet. Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis. *Cap. fin. de pœnit. diſt.* 1.

QUÆRITUR XXXIII.

Qualis Pœnitentia ſit imponenda?

RESPONSIO.

QUamvis in arbitrio Confeſſoris ſit pœnitentiarum taxa : tamen æquitatem ſervare obligatur, ne gravioribus culpis levem, vel pro levibus gravem pœnitentiam infligat. Si enim pro graviſſimis ſceleribus pœnitentiam leviſſimam injungat, fit peccatorum particeps. *Tridentinum Seſſ.* 14. *cap.* 8.

Ut tu Confeſſor arbitrium tuum rectè explices : „ Hanc rationem tene , ut partim „ eum corrigas, idque leniter & humanè, „ non ut hoſtis, neque ut durus & rigidus „ medicus. *D. Naziancenus Orat.* 26. *de moderatione in diſputationibus ſervanda.* §. *Hinc etiam alibi*, *diſt.* 45.

Audi Auguſtinum *in Enchiridio cap.* 72. „ Omnis, qui juſtè judicat, ſtateram in manu „ geſtat, & in utroque penſo juſtitiam & mi„ ſericordiam portat: ſed per juſtitiam reddit „ peccanti ſententiam; per miſericordiam „ peccanti temperat pœnam, ut juſto libramine quædam per æquitatem corrigat, quædam vero per miſerationem indulgeat. *Habetur in cap. omnis*, *diſt.* 45.

Plus

Plus tamen erga Pœnitentes agat benevolentia, quam ſeveritas; plus cohortatio, quam comminatio, plus charitas, quam poteſtas. *Cap. licet, diſt.* 45.

Falſa arguitur juſtitia in judice, ſi magis rigorem & judicium ſequatur, quam miſericordiam & æquitatem. *Argum. cap. non ſatis,* 86. *& cap. ponderet, diſt.* 50. *& ibi Gloſſa.*

Conſequenter in rigido cenſore non erit qualitas veri judicis. *Cap. eſt injuſta* 23. *q.* 4. Quia falſus nummus non eſt verus nummus. *L. Paulus ff. de verborum ſignificat.* Neque falſus modius, eſt modius, neque falſum Teſtamentum eſt Teſtamentum: neque falſus emptor eſt emptor. *Vide Gloſſam in d. l. Paulus, ff. de verbor. ſignificat.*

A tramite recti judicii cadit, qui gravem pœnam infligit naturæ fragili & debili. Probatur ſimilitudine: „ Sicut enim ſi faſcem „ ſuper humeros adoleſcentis poſueris, ne- „ ceſſe habet, ut aut faſcem rejiciat, aut ſub „ pondus confringatur; ſic & homini, cui „ grave pondus pœnitentiæ imponis, neceſſe „ eſt, ut aut pœnitentiam tuam rejiciat; aut „ ſuſcipiens, dum ſufferre non poteſt, ſcan- „ daliſatus amplius peccet. *Chryſoſtomus homilia* 43. *ad cap.* 23. *Matthæi, cap. alligant.* 26. *q.* 7. Plus juſto ſervum onerans in culpa eſt. *L. qua actione, ff. ad legem Aquiliam.*

Memento: ſi in aliquo redarguendi ſumus, melius eſt miſericordiæ reddere ratio-

Digitized by Google

nem, quam crudelitatis. *Gloſſa in cap. ponderet, diſt. 50. & cap. pulchra, diſt. 86.*

Adde, quod medicinæ in arte determinatæ non omnibus competunt: quia infirmi complexio conſideranda eſt, ne ſub forti medicina, vel natura debilis omnino deficiat, vel majus periculum propter incautam curationem incurrat. Optima menſura curandi eſt judicium periti medici. *Argum. Authent. hodie, Cod. de judiciis.*

Securus non eſt, qui medicamento perperam utitur, vel imperitè ſecat. *L. qua actione in fin. & l. ſeq. ff. ad legem Aquiliam.*

Infer ex his non eſſe pœnitenti infligendam pœnam, ſi ob magnitudinem deſperet, vel totaliter à pœnitentia recedat. *D. Thomas in ſupplem. diſput.* 18. *art.* 4. *in corpore.*

Si nulla affulgeat ſpes probabilis, quod profitura ſit medicina afflicto: ſecurius eſt morbidum relinquere in manu Dei, quam incertæ aleæ medicinali eundem committere. *Innocentius in cap. illud, de homicidio.* In hoc ut culpæ notam evadas, tutior pars eſt eligenda. *Cap. petitio, de homicidio.*

Nota id, quod circa hanc Materiam declarat Paſtorale Mechlinienſe conformiter ad Rituale Romanum. *Tit. de Ordine adminiſtrandi Sacramentum pœnitentiæ*: „ In injungendis ſa-„ tisfactionibus habendam eſſe rationem ſta-„ tus, conditionis, ſexus, ætatis, & item „ diſpoſitionis Pœnitentium.

Hæc

Hæc & ſimilia à Confeſſario perpendenda ſunt, ut ſicut loquitur Catechiſmus Romanus *part.* 8. *cap.* 5. „Cum Juſtitia & Prudentia, & pietate in ſententia erga Pœnitentes ferenda ſe gerat. Addit Tridentinum, in quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit. *Seſſ.* 14. *cap.* 8.

Quod Prudentiæ committitur, arbitrarium cenſetur. Sub rationis quidem fræno prudentis arbitrium conſtringitur; non tamen ullis eſt legibus vel conſtitutionibus definitum. *L. fin. Cod. de contrahend. emption. & l.* 242. *ſi qua, & l. aliud eſt fraus, ff. de verbor. ſignificat.*

Culpa quidem puniri debet prout cauſa expoſtulat. *Cap. non afferamus* 24. *q.* 1. *& l. reſpiciendum, ff. de pœnis.* Sed interdum ratio ex circumjacentibus motivis rectè alteratur, ut pœnarum temperamentum reprehendi non poſſit; cum ipſa ratio vim tacitæ legis obtineat. *L. cum ratio, ff. de bonis damnatorum.*

Sicut lex diverſimodè ordinat pœnam ſecundum conditionem ſtatus; quia aliter tractatur liber, aliter ſervus. *L.* 4. §. *Pedius, ff. de incendio, ruina, naufragio.*

Ita pœnale judicium variatur ſecundum circumſtantias ſeptem, quas jus commemorat *in l.* 16. *aut facta, ff. de pœnis.* Ibi hæ numerantur circumſtantiæ, ſcilicet, cauſa, perſona, locus tempus, qualitas, quantitas, eventus.

Noli igitur, cum pœnæ ſint arbitrariæ, animas

animas Chriſti Sanguine redemptas per occaſionem pœnarum necare. Interpretatione legum pœnæ molliendæ ſunt potius, quam exaſperandæ. *L. interpretatione*, *ff. de pœnis.*

In arbitrariis minor pœna eſt amplectenda. *L. 32. diem proferre §. ſi plures ff. de receptis arbitris.* Quia omnes Caſuiſtæ tanquam arbitri diſſentientes in minorem pœnam conveniunt. *Cap. 1. de arbitris, lib. 6.*

Talis ſententia humana eſt, & cum excellat in pietate, imitanda eſt. *Cap. ſana, diſt. 9. de his vide Gloſſam in cap. hoc ipſum* 33. *q.* 2.

Propterea non videtur quod imponenda major ſit pœnitentia pro veniali, quam ut dicat Pater noſter: „Quæ oratio delet venia„lia, delet etiam illa, à quibus vita fidelium „& ſceleratè geſta, ſed pœnitendo in melius „commutata diſcedit. Ecce delet mortalia quoad pœnam. *Vide Textum & Gloſſam in cap. de quotidianis, de pœnitent. diſt.* 3.

Si peccator acceptare nolit pœnitentiam gravem; Abſolutio non eſt ei deneganda; quia ſi pœnitens hîc non ceditur ad æquitatem, poſt, ad ultimum quadrantem in conflatorio Purgatorii luet. *Hoſtienſis apud Panormitanum in cap. ſignificavit, de pœnit. & remiſſ. & cap. 2. de Raptoribus, & cap. quid ergo* 33. *q.* 5. *& cap. qualis, diſt.* 25.

Idem affirmat Gerſon *in part. 2. operum in Regulis Moralibus*, ubi dicit: „Tutius eſſe „cum parva pœnitentia, quæ ſpontè ſuſcipitur,

„ tur, & veriſimiliter adimpletur, ducere „ Confeſſos ad Purgatorium, quam cum mag- „ na non implenda præcipitare in infernum.

Si ſecurus non ſit Confeſſarius, injungat opera debita & neceſſaria. Hæc enim ex animo patienter ſufferentis, & in finem ſatisfaciendi referentis, expiationem pœnæ operantur. *Navarr. in cap. 1. num. 6. de pœnit. diſt. 6.*

Fagella enim à Deo inflicta & patienter tollerata coôperantur ſatisfactioni debitæ. *Tridentinum Seſſ.* 14. *cap.* 9.

Idcircò laudabiliter additur à Sacerdote: quidquid boni feceris vel mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum, quia virtute clavium hæc ſatisfactio fit Sacramentalis & culpæ expiativa. *Ita D. Thomas quodlib.* 3. *art.* 28.

Denique omnis anxietas tollitur, ſi conſtringatur pœnitens ad lucrandas Indulgentias Plenarias, quas quotidiè vel frequenter de Theſauro ſuo Eccleſia indulget Roſariis, Scapularibus, Cordis, Numiſmatibus, Sodalitatibus, Confraternitatibus. In particularibus Indulgentiis fit in tanto: ergò in plena fiet remiſſio in toto. *Argum. in l. quæ de tota, ff. de rei vendicatione, Gloſſa in extravag. antiquorum, de pœnitentiis & remiſſ. inter communes.* Vel det ipſe Sacerdos Indulgentias per plures annos quod ei licet ſecundùm Innocentium *in cap. quod autem, de pœnitentiis & remiſſ. ibid. Ancharan. num.* 8.

Digitized by Google

Ponderet Confeſſor quod Sacramenta ſint inſtituta ad curanda animæ ſauciatæ vulnera tanquam medicinæ in commodum & favorem Pœnitentis. *Cap. in actione, de pœnit. diſt.* 1. *& Gloſſa in cap. his igitur, diſt.* 23.

Propterea cautè & prudenter applicanda ſunt, idque cum magna dulcedine, ne noceant. Quod enim ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum. *Regula* 61. *lib.* 6.

Applica igitur debili & infirmo pœnarum medicamina non ſuffocativa, ſed confortativa: ut, ſi peccator hîc quaſi cedat pœnitentiæ foro, tamen deveniens ad ſtatum ſatisfaciendi obligetur. *Argum. in cap. Odoardus, de ſolutionibus.*

Neque Deo fit injuria, quia ſuum jus remanet integrum reliquam pœnam exigendi in Purgatorio. *Abbas in cap. Deus, qui num.* 4. *de pœnitentiis & remiſſ.*

Quamvis enim crimina ſint extincta; tamen jus fiſci remanet illeſum, & debitum extorquet poſt mortem. *L.* 5. *in hæredem, ff. de calumniatoribus.*

Quantum pertinet ad pœnitentias medicinales, cum hæ ſint contra relapſum, ex præcepto Confeſſoris adimplendæ ſunt. Nam ſicut pœnitens ex propoſito obligatur vitare peccatum, ita & obligatur applicare media ordinata ad finem, quia iter ad hauriendum includitur in conceſſione hauſtus. *L.* 3. *item*

ſic

Digitized by Google

ſic §. qui habet , ff. de ſervitutibus ruſticorum prædiorum.

Tutius eſt medicamenta præſervativa conſulere , quam præcipere : quia de facili poſſet ſequi præcepti tranſgreſſio , cum durum ſit aſſueta relinquere 23. *q.* 6. §. *fin.*

Neque illi deferendum eſt juramentum contra quem vehementer præſumitur de tranſgreſſione : imo deferens tam ſuæ animæ , quam alienæ eſt interemptor. *Cap. ille ,* 22. *q.* 2. *& Gloſſa ibi.*

Melius eſt , ſi peccet , unico peccato relapſus contaminari , quam duplicare peccatum , ſi accedat inobedientiæ reatus. *Argum. in cap.* 3 *de cohabitatione clericor. & mulier. Abbas ibidem.*

Rectè monet Rituale Romanum & Paſtorale Mechlinenſe *in citato tit. de Ordine Adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ*, ut Confeſſarius contrarias peccatis Pœnitentias injungat: „ Veluti avaris eleemoſynas , libidinoſis je„ junia , vel alias carnis afflictiones , ſuperbis „ humilitatis officia , deſidioſis devotionis „ ſtudia : rarius autem vel ſerius confitenti„ bus , vel in peccata facile relabentibus , „ Utilissimum fuerit consulere , ut „ ſæpe , puta ſemel in menſe , vel certis die„ bus ſolemnibus confiteantur , & ſi expe„ diat , communicent. In arte medica contraria contrariis curantur. *Cap.* 1. *de pœnit. diſt.* 2.

Uti-

Utiliſſimum eſt conſulere frequentare pœnitentiæ Sacramentum, non vero præcipere. Decretum neceſſitatem facit: exhortatio autem liberam voluntatem excitat. *§. Hæc etſi, diſt.* 4. *Gloſſa in cap.* 1. *de conſtitut. & Clem. exivi, de verborum ſignificat. cap. quod præcipitur* 14. *q.* 1.

Duplex datur utiliſſimum peccati antidotum: ſcilicet gratia Sacramenti pœnitentiæ, quæ infuſa pœnitentem munit, ut caveat, ne committat, quod flevit. *Gloſſa in cap.* 1. *de pœnit. diſt.* 3. & Euchariſtiæ Sacramentum, quod alit animam, confortat virtutes, & eſt tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervemur. *Tridentinum ſeſſ.* 13. *cap.* 2.

Hæc divina medicamina à Deo tanquam à ſummo medico contra peccati venenum ordinata infirmis vel debilibus poſtulantibus non ſunt ſubtrahenda, quia ſi famelicum non paviſti, occidiſti. *Cap. paſce, diſt.* 86. & ſi medicinam à vulnerato removeas, non eris curator, ſed occiſor. *DD. in cap.* 1. *de infantib. & languidis expoſitis, & l.* 1. *Cod. de infantibus expoſit, & l. necare, ff. de Liberis agnoſcend.*

Contrariorum contrarii ſunt effectus: dicit enim Hieronymus: ſi bonum eſt mulierem non tangere: malum eſt ergo tangere. *Cap. hoſpitiolum, diſt.* 32. Similiter ſi vis medendi inſit Sacramentis, ergo privationi Sacramen-

cramentorum (utpotè non enti) vis medendi non ineſt. Tollit privatio quod ponit habitus. *Argum. in Gloſſa cap. ad diſſolvendum, de deſponſation. impuber. & l. 115. decem, ff. de verborum obligat.*

Si dicas, occaſione privationis per accidens interdum curatur peccator. *Reſp.* ita interdum curatur, ut poſſit non curari, quia quod per accidens fit, poteſt non fieri: & ſicut accidens, ad eſſe & abeſſe poteſt. *L. cum multa, Cod. de donat. ante nuptias & l. pacta Conventa, ff. de contrahend. empt.*

Per ſe & certò inſtar cauſæ naturalis Sacramenta cauſant effectum juxta Theologos. Tene igitur certum, & dimitte incertum. *Cap. ſi quis autem, de pœnitent. diſt. 7.*

COROLLARIUM.

PRobavimus ſupra quod Sacerdotis prudentiæ & arbitrio commiſſa ſit determinatio ſatisfactoriæ pœnæ. Ob id Sacerdos eſt arbiter inter Deum & hominem cum poteſtate attributa ut altè & baſsè pro prudenti ſuo arbitrio procedat, qui Jus Divinæ Juſtitiæ laudo ſuo poteſt quaſi abſorbere in commodum pœnitentis: ſicut compromiſſarius poteſt præjudicare juri unius in parte, vel in toto in commodum alterius. *Abbas in Cap. fin. de majoritate & obedientia. Argum. l. cum mandato, ff. de minor. Bartol. in l. ſi Societatem*

tem §. arbitrorum , ff. pro Socio. Ioan. Cald. in diſputatione , quæ incipit , duo litigantes. Petrus de Ancona in repetit. cap. Canonum , de conſtitut. Baldus in l. & ſi in majoribus , Cod. de appellat.

Præcipuè ſi commiſſio ſit facta à Principe, qui poteſt ſibi præjudicare. *Barbatius in cap. ne innitaris , de conſtitut.*

Item , Divina Juſtitia nequidem læditur ſi mitiſſima pœna imponatur ; dummodo tamen ſit juſta , liberat pœnitentem à Purgatorio , quia datur lâtitudo juſtæ pœnæ , ſcilicet rigoroſa , mediocris , mitiſſima : ſicut datur latitudo prætii juſti vulgaris. *L. pretia , ff. ad legem Falcidiam.* Ita quidam Theologi ſequentes Scotum.

Ait Gloſſa *in cap. menſuram, de pœnit. diſt. L.* ,, Quod ſi iniquè arbitratus eſt & minorem pœnam imponat quam debeat, ſi ,, enim ordinarius ejus Judex ſive Sacerdos ,, & diſpenſandi animo hoc facit : ſufficit illa, ,, licet modica ad delendum peccatum. Si per ,, errorem ab iſto Pœnitente credebatur peritus : ſufficit illa minor pœnitentia ad ,, peccatum delendum & omnem pœnam ,, alterius vitæ.

Omnes enim pœnæ certis metis finiuntur : ait lex , ſcimus eſſe naturæ congruum , eas tantummodò pœnas exigi , quæ vel competenti moderatione proferuntur , vel à legibus certo concluſæ ſtatuuntur. *L. 1. Cod. de ſententiis , quæ pro eo quod intereſt proferuntur.*

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆRITUR XXXIV.

Vtrum mors patienter tollerata liberet hominem à Purgatorio?

RESPONSIO.

PEr violentam mortem in pœnam peccati inflictam plenè ſatisfit, neque ulteriori remanet purgationi locus. *D. Thomas in* 4. *diſt.* 15. *q.* 1.

Quamvis enim cum offenſus offendenti pœnam imponit, illa magis videatur vindicatio, quam ſatisfactio: tamen ex voluntaria patientia fit etiam ipſius patientis, & acceptatur ut ſatisfactio. Propterea mors per judicem inflicta prodeſt, ſi reus convertatur, ad culpæ expiationem. *D. Thomas* 2. 2. *q.* 25. *art.* 6. *ad* 2.

Mors quoque naturalis, ſi voluntariè acceptetur, eſt ſufficiens pœna pro omnibus peccatis venialibus, & fortè pro magna parte pœnæ debitę pro mortalibus. *Ita Scotus in* 4 *diſt.* 21. *q.* 1.

Hoc adverbium, fortè, non ſumitur dubitativè, ſed aſſertivè. *Gloſſa & Abbas in cap. ex parte, de celebrat. Miſſar. in cap. admonere* 33. *q.* 2. *& l. ſi duo, ff. de arbitris, & cap. quamobrem, de pœnit. diſt.* 1.

Dicit Angelus *in. l. ſubſtitutione, ff. de vulgari*

gari & pupill. quod, ſi Doctor conſulit per verbum, forte, Conſilium ejus dicitur aſſertivum & non dubitativum. Addit Barbatius *in repet. cap Raynaldus, & in cap. Ioannes, de teſtam.* ſi Doctor ſit in iis, quæ ſunt juris, vel quæ verſantur circa peritiam artis.

Videtur, & piè putatur; quod mors naturalis patienter ſuſcepta aboleat omnem reatum pœnæ quia per flagella nobis inflicta, ea patienter tollerando, ſatisfacimus juxta Tridentinum *cap.* 9. *ſeſſ.* 14.

Pœna minima, aut parva parum Deo ſatisfacit, mediocris mediocriter, maxima maximè. Quod enim juris eſt de toto ad totum, idem juris eſt de parte quoad partem. *L. quæ de tota ff. de rei vendicat. Gloſſa ibid. & Bartol. l. juris gentium §. adeo, ff. de pactis, & ibi Iaſon. L. tres tutores. ff. de adminiſtrat. tutor. & c. ſuper §. fin. & c. Paſtoralis §. item cum totum, de officio delegati.*

Ergo ſi quis pro delitiis ſuis omnium terribilium terribiliſſimum, ſcilicet mortem aut violenter illatam, aut aliàs irruentem patienter tolleret; acceptabit Deus benevolè hujuſmodi paſſionem in omnimodam ſatisfactionem.

Probatur: Paſſio Martyrem ab omni pœna liberat. *Cap. Baptiſmi, diſt.* 4. *de conſecrat.* Non ſolum hoc de vero Martyrio dicitur, ſed de morte, quam patienter tollerat fidelis, ut patet in bono latrone. *Gloſſa in cap. importuna, de pænit. diſt.* 1.

Item

Digitized by Google

Item probatur: Mors civilis v. g. Profeſſio in Religione Approbata æquiparatur morti naturali. *Gemin. in cap. ſuſceptum, de reſcriptis lib. 6. & ibidem Archidiacon. Antonius de Butrio in cap. licet, de officio delegati.*

Tollit pœnitentiam publicam uxoricidæ Decretam *Gloſſa & Textus cap. admonere 33. q. 2. & Gloſſa in cap. Scripturæ, de voto.*

Et delet univerſæ pœnæ reatum inſtar Baptiſmi. *Hieron. Epiſt. 8. & 25. Anſelmus lib. de ſimilitudinibus, cap. fin. & Bernardus lib. de præcepto & diſpenſat. cap. 40.*

Ergo idem dicendum de morte naturali, quæ per charitatem & patientiam fit meritoria & ſatisfactoria. Æquipollentium idem eſt judicium. *Cap. in his, de verbor. ſignificat. cap. tua, de conſanguinit. & affinit. & cap. licet ex quadam, de teſtib. l. final. in fin. mandati.*

Pœnalitates, quæ ex peccato originali neceſſario dimanant v. g. mors, podagra &c. ex amore Dei tolleratæ tollunt pœnæ obligationem ſecundum quantitatem charitatis & patientiæ. *Binsfeldius de Sacram. pœnit. de operibus ſatisfactoriis §. podagra.*

Deus enim ab electis ſuis iniquitatum maculas ſtudet temporali afflictione tergere, quas in perpetuum non vult in eis videre. *Cap. ſi peccatum, de pœnit. diſt. 1.*

Quamvis mors, & aliæ afflictiones naturam corruptam neceſſario ſequantur; non per hoc tollitur, quin eis inſit vis ſatisfaciendi

Digitized by Google

ciendi, quia & neceſſariis interdum magis meremur, quam merè voluntariis. *Bart. in l. quod ſi minor. §. reſtitutio. ff. de minorib.*

Et laudabilius opus eſt in vovente, quam in libero. *Gloſſa in Clem.* 1. *v. ſeipſum, de reliquiis & venerat. Sanct.* Quamvis Liberum non ſit promiſſori ab obligatione ſibi injecta reſilire. *L.* 44. *cum poſtulaſſem, ff. de damno infecto.*

Probatur ultimò: fur liberatur à furcâ matrimonialiter ſibi copulans ſcortum. *Sebaſt. medices in tract. mors omnia ſolvit p.* 1. *num.* 158. *Benedict. Ægidius in repet. l.* 1. *Cod. de ſacroſanct. Eccl. p.* 3. §. *num.* 8. *Rebuff. in comment. ad l.* 245. *ff. de verbor. ſignificat.*

Et lucratur plenam remiſſionem peccatorum aſſumens publicam meretricem ad legitimum thori conſortium, quia ſtatuit Clemens III. „ Ut omnibus, qui publicas mu„lieres de lupanari extraxerint & duxerint „in uxores: quod agunt, in remiſſionem „proficiat peccatorum. *Cap. inter opera, de ſponſalibus.* Intimatur hic plena remiſſio, indefinita enim locutio æquipollet univerſali. *Cap. ut circa, de elect. lib.* 6.

Patet quod hæc copula infamis in locum mortis ſubrogetur, & tanquam ſubrogatum induat naturam ejus, *Gloſſa in cap. ly, Eccleſia, ut lite pendente. Et l. ſi eum §. qui injuriarum, ff. ſi quis cautionibus. L. unica Cod. de rei uxoriæ actione.*

Igitur

Igitur, ſi ſubrogatum cauſet plenam remiſſionem, ergo eandem cauſat magis vel æqualiter mors, in cujus locum ſubrogatur. *Baldus conſ.* 112. *quæritur, qui intelligantur col.* 2. *lib.* 1. *& Lud. Pont. ſing.* 485. *pone quod arbitrium. Item Baldus in l. ſi puellam, in ultim. verbis Cod. ſi mancipium ita fuerit alienatum.*

QUÆRITUR XXXV.

Vtrum Sacerdos poſſit Abſolvere complicem?

RESPONSIO.

SAcerdos licitè excipit Confeſſionem complicis ſui, ſi uterque ſit verè pœnitens, neque adſit periculum conſenſus in peccatum. *Ioan. Andr. & Vincentius in cap. omnis, de pœnitentiis & remiſſionib. & ibi Abbas.*

Quia à Sacerdote fornicario tollerato licitè ſuſcipiuntur Sacramenta. *Cap.* 7. *veſtra, de cohabit. cler. & mulier.* Scilicet Sacramenta, quæ non ſunt voluntaria ut Ordo & Matrimonium, ſed neceſſaria ut Baptiſmus, pœnitentia &c. ſine quibus, ſi haberi poſſunt, ſalvari nullus poteſt. *Gloſſa in cap. veniens, de tranſactionib.*

Fornicator quidem occultus eſt ſuſpenſus quoad ſe, non tamen quoad alios. *Cap. fin. de cohabit. cler. & mulier.* „ Scio (ait Augu- „ ſtinus contra hæreticos ſuper Evangelium

 „ Joan-

Digitized by Google

„ Joannis) quod per illum fluit purum eſt,
„ quod per illum tranſit liquidum venit ad
„ fertilem terram, puta, quia ipſe lapideus
„ eſt, quia ex aqua fructum ferre non poteſt:
„ per lapideum canalem tranſit aqua ad areo-
„ las in canali lapideo nihil generans, ſed
„ tamen hortis plurimum fructum affert.
„ Spiritualis enim virtus Sacramenti ita eſt,
„ ut lux: & ab illuminandis pura excipitur,
„ & ſi per immundum tranſeat, non inqui-
„ natur. *Habetur in cap. aliud §. ſi fuerit. de*
„ *conſecrat. diſt.* 4. *& in cap. ſi juſtus fuerit*,
1. *q.* 1.

Expedit interdum quod complex confiteatur ſuo complici, ſi alteri Confeſſori ſuum peccatum explicare non poſſit ſine proditione complicis.

Quia, quamvis pœnitens in Confeſſione pro bono animæ ſuæ poſſit & debeat famam ſuam contemnere; tamen non poteſt alienæ famæ jacturam inferre, quia qui tollit famam, quæ eſt vita hominis civilis, homicida reputatur. *Argum. in cap. homicidiorum, de pœnit. diſt.* 1.

Favor aut Privilegium Sacramenti Pœnitentiæ ita trahi debet in favorem pœnitentis, ut tamen alteri enormen læſionem non inferat. *Argum. in cap. quid per Novale, de verbor. ſignificat. cap. nunc vero,* 19. *q.* 3. *& cap. de Eccleſiaſticis* 25. *q.* 2.

In meo facere non debeo, quod nocet in alieno.

alieno. *Argum. in l. fiſtulam ff. de ſervitutib. urbanor. prædior.*

Sub prætextu medicinæ ſpiritualis aliena opinio lædi & obfuſcari non poteſt contra legem naturalem & divinam de non infamando proximum, *Innocentius in cap. omnis, de pœnit. & remiſſ. & Hoſtienſis ibi. Navarr. in cap. Sacerdos, de pœnit. diſt. 6.*

Non enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona. *Argum. in cap. nervi diſt.* 13.

Quiſque tenetur poſt peccatum ad Confeſſionem ſicut ad impletionem operis poſt juramentum. Si occurrat iniquitas in executione remittitur obligatio. Juramentum non eſt inventum ut ſit vinculum iniquitatis. *Cap. inter cætera*, 22. *q.* 4.

Pariformiter non eſt Sacramentum pœnitentiæ inſtitutum in diſpendium tertii. *Argum. cap. officii de pœnit. & remiſſ.*

Objicis: eſt lex prohibitiva Simmachi Papæ de non audiendo Confeſſionem Filiæ ſpiritualis: qualis eſt fœmina complex reſpectu ſui Confeſſoris. *Cap. omnes*, 30. *q.* 1.

Resp. Non extat lex id prohibens: quia Textus citatus ait: „Silveſter quoque „docens admonet unumquemque Sacerdo„tem ut nullus cauſa fornicationis ad ſuam „pœnitentialem accedat.

Ecce prohibetur commixtio, non Abſolutio poſt commixtionem. Aliud eſt accedere, aliud abſolvere: ſicut aliud eſt in via,

 aliud

aliud in devio *Gloſſa in §. verum illa, de pœnit. diſt.* 4.

QUÆRITUR XXXVI.

Utrum Confeſſarius peccans cum Fœmina, cujus Confeſſionem audivit, teneatur hanc circumſtantiam, dum confitetur explicare?

RESPONSIO.

VIdetur quod illa, quam in pœnitentia ſuſcipimus, ſit Filia noſtra ſpiritualis. *Cap. omnes* 30. *q.* 1. conſequenter copula cum illa videtur inceſtus.

Sed impropriè Filia ſpiritualis appellatur, cum in ea committatur adulterium: ait Cæleſtinus: „ Si quis Sacerdos cum Filia ſpirituali fornicatus fuerit, ſciat ſe grave adulterium commiſiſſe. *Cap. ſiquis*: 30. *q.* 1.

Igitur, ſicut impropriatur vocabulum adulterii, ita & Filiæ ſpiritualis, quia cognatio ſpiritualis ſurgit dumtaxat ex Baptiſmo, & ex confirmatione frontis, quæ gratiam Baptiſmalem confirmat; non vero naſcitur ex aliis Sacramentis v. g. Pœnitentiæ, Corporis Chriſti, Extremæ Unctionis, Ordinis, Conjugii. Vide Textum & Gloſſam *in cap. fin. de cognatione ſpirituali lib.* 6.

Eſt lex pœnalis contra Sacerdotem publicum

cum fornicarium cum filiâ, cujus Confeſſionem excepit, quia Simmachus Papa infligit pœnam depoſitionis *in cap. omnes* 30. *q.* 1. & Cœleſtinus addit ultra peregrinationem 12. annis Carceris pœnam, SI IN CONSCIENTIA POPULI DEVENERIT. *Cap. penult.* & *fin.* 30. *q.* 1.

Ecce lex ferit crimen publicum, non occultum. *Gloſſa in d. cap. fin.*

Videtur quod Parochus peccans cum ſubdita, committat ſpeciale peccatum, cujus officium eſt ejuſdem ſaluti providere & verbo & exemplo paſcere. *Bonac. de matrim. q.* 4. *punct.* 16. *Propoſitione* 5. *circa finem.*

Verius tamen apparet, quod Parochus, ſi publicè non peccat, non peccet contra officium ſuum, quod publicum eſt. Conſiſtit illud in debita adminiſtratione Sacramentorum, & in prædicatione Verbi Dei. Publicum officium in publicam utilitatem introductum eſt. *L. honor municipalis, ff. de muneribus & honorib.* Quæ hoc & præcedenti Cap. dicta ſunt, intellecta volo, ſeclusâ lege ſpeciali.

Digitized by Google

QUÆRITUR XXXVII.

Vtrum Epiſcopus poſſit reſervare peccatum complicis ?

RESPONSIO.

CONcil. Trident. ait : „ Magnopere vero „ ad Chriſtiani populi diſciplinam per- „ tinere Sanctiſſimis Patribus noſtris viſum „ eſt , ut atrociora quædam & graviora cri- „ mina non à quibuſvis , ſed à ſummis dum- „ taxat Sacerdotibus , Abſolverentur. *Cap.* 7. *Seſſ.* 14.

Negarunt Lovanienſes & Colonienſes Doctores reſervationem criminum occultorum notam fuiſſe Sanctis Patribus , nec fore damnandam ſententiam Gerſonis , Cajetani , Durandi circa hujuſmodi reſervationem. Ita Paulus Venetus in Hiſtoria Tridentini.

Sed viſum eſt Sanctiſſimis Patribus , (forſitan Concilii) ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibuſvis , ſed à ſummis dumtaxat Sacerdotibus abſolverentur ; ita teſtatur citatum Tridentinum.

Nota , quod atrocia crimina dicuntur homicidia, adulteria & omnia capitalia crimina. *Gloſſa in l.* 199. *ad ea, ff. de Regul. juris.*

Item Nota, quod graviora crimina ſunt publica, & quando non imponitur pœna mortis.

Abbas

Abbas in cap. tuæ diſcretionis, de pœnis. Bartol. in conſ. 7. quod incipit: ad declarationem hujus quæſtionis.

Ex his notatis colligitur quod non poſſit reſervari crimen, quod non eſt publicum, aut capitale.

Reſervatio pertinet ad diſciplinam Eccleſiaſticam & ad politiam externam, quæ non turbatur nec læditur per occulta, de quibus non cognoſcit. *Cap. 33. ſicut tuis, de ſimonia & cap. ſeq. & cap. ſi omnia 6. q. 1. & cap. Chriſtiana 32. q. 5.*

Idcircò Eccleſia relinquit judicio Dei Sacerdotes in occulto cum mulierculis ſe fædantes. *Cap. erubeſcant diſt. 32.*

Eccleſia ſolum de manifeſtis cognoſcit, quæ probantur. *Cap. 34. tua, de Simonia.* Quia ſi probatio ceſſat; vindictæ ſeu diſciplinæ ultricis ratio conquieſcit. *Cap. Chriſtiana 32. q. 5. Gloſſa in cap. 4. ex tenore, de temporibus ordinationum.*

Reſervatio à Tridentino conceſſa non tangit regulariter Parochos in caſibus à Jure, vel in jure non conceſſis, quia non habent poteſtatem ſuam ab Epiſcopis; ſed vel à jure communi. *Cap. placuit, de pœnitent. diſt. 5. & cap. omnis utriuſque de pœnit. & remiſſionib. & DD. ibidem & cap. Eccleſias 13. q. 1. & cap. Paſtoralis, de his quæ fiunt à Prælatis.*

Vel habent à Jure Divino. *Sotus in 4. diſt. 18. q. 2. a. 5. Henriquez l. 6. c. 14. n. 3. & alii.*

Digitized by Google

Clari juris eſt, quod inferior limitare vel tollere nequeat legem ſuperioris. *Cap. inferior, diſt.* 21. *& Clem. ne Romani, de elect.* Teſtante Propheta *Iſaia Cap.* 10. nunquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum, qui trahit eam? *Cap. cum inferior, de majoritate & obedientia & l. fin. Cod. de legibus.*

Reſpectu vero eorum, qui delegatam ab Epiſcopis juriſdictionem habent, eam poſſunt modificare aut limitare intra limites Tridentini. Quia quilibet rei ſuæ modum & conditionem & legem poteſt ponere, quam vult. *Gloſſa in cap.* 3. *de præbendis lib.* 6.

Hæc vera videntur, ſi verba Textus Tridentini juxta genuinam ſignificationem ponderentur: quia verba, *Atrociora quædam & graviora crimina*, ſunt vocabula abſolutè poſita, idcirco propriè (ut explicavimus) & non abuſivè accipi debent. *L. ea lege, ff.* de *Teſtam. l. non aliter, de legat.* 3. *l. nepos proculo, ff. de verborum ſignificat.*

Si retorqueas jus: committis fraudem, & ſi varias factum, mendacium. *Schardius in lexicon v. interpretando.*

QUÆ-

QUÆRITUR XXXVIII.

Qualiter obliget Sigillum?

RESPONSIO.

SAcramentum Pœnitentiæ eſt à Domino inſtitutum, *Trident. Seſſ.* 14. *Can.* 1. eſtque neceſſarium ad ſalutem Jure Divino. *Eadem Seſſ. Can.* 6. Igitur obligatio ſigilli videtur pariter eſſe de Jure Divino; & à Domino inſtituta, quia illud eſt de ſubſtantia, ſine quo res ſubſiſtere non poteſt. *Argum. cap. tua nos, de ſponſalib. cap. quia propter, de elect. & cap. ſine exceptione* 12. *q.* 2.

Sicut Deus tegit peccata, de quibus ingemiſcit homo: ita & ejus officialis, quia idem eſt auditorium, & eadem cenſentur eſſe perſona. *Cap.* 2. *de conſuetudine, lib.* 6. *& cap.* 3. *de appellat. lib.* 6. & ratio tacendi, quæ movet delegantem, movere debet delegatum. *Cap.* 20. *ſuper litteris, de reſcriptis.*

Adeo arduum eſt hoc ſigillum, ut in eo nequidem Papa poſſit diſpenſare, quia Sacerdos in actu Confeſsionis eſt Dei Vicarius ſpecialis: Papa verò eſt Vicarius Dei Generalis. Specialis quoad illam ſpeciem major eſt quam Generalis. *Cap. ſtuduiſti, de officio delegati.*

* Minus valet ipſe pœnitens tanquam privata

vata perſona licentiare Sacerdotem, ut ſua peccata, revelet, quia obligatio tacendi eſt de eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ. *Angelus in ſumma, V. confeſſio 1. q. ult.* quidquid novit in hoc Sacramento Sacerdos, novit ut Deus. *Cap. ſi Sacerdos, de Officio Ordinarii.* Pandat igitur pœnitens ſecretum ſuum extra Confeſsionem, ſi velit, ut Sacerdos ſciat ut homo, quia Sacerdos non poteſt peccatorem, prodere, neque peccatum recitare. *Cap. Sacerdos, de pœnitent. diſtinct.* 6. niſi in caſu quando eget Conſilio, idque ſub cautela ne peccator innoteſcat. *Cap. omnis, de pœnitentiis & remiſsionib.*

Pœna Sacerdotis revelantis Confeſsionem eſt, peregrinari ignominiosè. *Cap. Sacerdos, de pœnit. diſt.* 6. & debet deponi, & ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monaſterium detrudi. *Cap. omnis, de pœnitent. & remiſsionib.* Scilicet poſt peractam peregrinationem ſecundum præſcriptum judicis, una enim pœnitentia non elidit aliam, quia unum jus ſuppletur per aliud. *Hoſtienſis in d. cap. omnis.* & privatur beneficio, ſi quod habet: quia ſervire non poteſt tanquam infamis & detruſus. *Clem.* 2. *ibi Gloſſa, de pœnis.* Si ſit ſuſpectus de fuga, incarceratur. *Cap. ut fame, de ſentent. excommunicationis.*

Addo factum Jacobi I. Aragoniæ Regis, qui Gerundenſi Epiſcopo linguam à tergo extrahi imperavit, quod Confeſsionem Regis de-

deтexiſſet ; *Aldrete de diſciplina tuenda lib. 2. cap. 19. num. 2.* digna profectò tanto crimine pœna, ſi à legitimo Judice inflicta fuiſſet.

Si Sacerdos revelat ſecretum, quod ſcit ut homo, detrahit. *Cap. ſi tantum & cap. placuit 6. q. 2.* Si revelat id quod ſcit ut Deus, non probat: quia cauſam ſuæ ſcientiæ reddere non poteſt. *Imola in Clem. I. de ſepulturis, ſuper Gloſſa V. manifeſtis. Ioannes Andr. in cap. quamquam ſuper Gloſſa 2. de uſuris lib. 6.* ait Bernardus: nihil minus ſcio, quam quod per Confeſſionem ſcio. Si peccat in eo Confeſſarius, quod ſcit ut Deus: ſolum Deum habet ultorem. *Argum. in cap. erubeſcant, diſtinct. 32.*

Niſi probet Confeſſarius aliundè ſe habere notitiam ſui dicti: dummodo conſtet, quod pœnitens, qui gravatur, fuerit eidem confeſſus: in favorem Sacramenti & in odium garruli Confeſſarii præſumitur fractio ſigilli: & ob has conjecturas Sacerdos ſubjiciendus eſt torturæ, *Argum. in cap. cum in contemplatione, de Regul. jur. Gloſſa ibid. & l. 3. Cod. ad legem Juliam Majeſtatis. Ita Stephanus de Gaeta Neapolitan. in cap. ad limina, §. 5. quæro 172. cauſ. 30. q. 1.*

Non poteſt Epiſcopus in his pœnis diſpenſare: quia à jure infliguntur. *Vide Archidiac. in cap. 1. verſ. nullam te de elect. lib. 6. & in cap. Felicis in verſic. injuriam; de pœnis.*

Si hæc practicarentur: O quanta ſcandala ceſ-

Digitized by Google

ceſſarent in Eccleſia Dei ! morbo debetur Antidotum , *Cap. cæterum : de juramento calumniæ.*

Ultimò ; Cum Sacerdos peccata noſcat ut Deus : non poteſt ut homo dictâ ſcientiâ uti in regimine ſuorum vel pœnitentis : quia forus fori & forus poli miſcendi non ſunt. Separata enim & differentia communionem non habent. *L. fin. de calumniat. L. neque natales, Cod. de probationib.*

QUÆRITUR XXXIX.

Utrum Confeſſarius teneatur interrogare Pœnitentem?

RESPONSIO.

TExtus ait : „ Omnis utriuſque ſexus fi- „ delis , poſtquam ad annos diſcretionis „ pervenerit , omnia ſua ſolus peccata ſaltem „ ſemel in anno fideliter confiteatur ..... „ Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus , ut „ more periti medici ſuperinfundat vinum „ & oleum vulneribus ſauciati , diligenter „ inquirens & peccatoris circumſtantias , & „ peccati. *In cap. omnis de pœnitentiis & remiſſionib.*

Ex hoc Textu patet , quod pœnitens omnia ſua peccata ſolus debeat confiteri : & quod obligetur Sacerdos cautè & diſcretè eundem pœnitentem interrogare de peccati cir-

cir-

Digitized by Google

circumſtantiis. Ecce : Sacerdos inveſtigat, non peccatum, ſed peccati circumſtantias. Aliud eſt peccatum, aliud peccati circumſtantia, ſeu modus. *Argum. cap. ſciendum, diſtinct.* 29. cauſa facti potius eſt inquirenda, quam ipſum factum. *Gloſſa in cap. occidit*, 23. *q.* 8.

Pœnitens ſolus confitetur omnia peccata ſua : ſi Miniſterio Sacerdotis confitetur ; non dicitur ſolus confiteri. Dictio, *Solus*, præter Pœnitentem omnes alios excludit. *L.* 2. *ff. de uſu & habitat. cap. ſi ſolus Chriſtus, diſtinct.* 8. *cap. in omnibus, diſt.* 81. etiam nuncium & Scripturam. *Cap. quem pœnitet. diſtinct.* 1. *de pœnitent.*

Item, Confeſsionis conditio eſt, quod ſit ſpontanea. Dictio, *ſpontè*, motum proprium deſignat, & alienam inſtantiam ſeu petitionem non recipit. *Cap. ſi motu proprio, de præbendis, lib.* 6. *Menochius Conſil.* 255. *num.* 40.

Item, circumſtantiæ, non qualeſcumque, ſed ſpeciem mutantes confitendæ ſunt. *Tridentinum Seſſ.* 14. *cap.* 5. *& Can.* 7. Ergo à contrario : non mutantes ſpeciem non ſunt confitendæ. Hanc ſententiam ante Tridentinum docuit S. Thomas 4. *diſt.* 16. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 5. *Bonaventura in* 4. *diſtinct.* 17. *q. ultim.* poſt Tridentinum Navarrus. *Cap.* 6. *num.* 6. *&* 7. *alii.*

Si ſit ſublata neceſsitas in pœnitente confitendi

ſtendi circumſtantias : tacitè ſublata cenſetur neceſsitas de iis interrogandi in Confeſſario. *Argum. in l. fin. ff. de acceptilationibus.*

Item, numerus peccatorum mortalium explicari debet. *Tridentinum ſeſſ.* 14. *cap.* 5. ſed ſi ſolum calculus conjecturalis haberi poteſt; non eſt inquirendus. Conjectura eſt de incertis. *Argum. in l. ille aut ille, ff. de legatis* 3. ſed ſuper re incerta certa non datur ſententia. *Cap. grave* 11. *q.* 3. *& cap. fin. diſtinct.* 33.

Sufficit Sacerdoti, quod judicium ferat circa ſtatum peccatoris. Status plebei aut ruſtici ſat innoteſcit, ſi groſſo modo explicetur. *Argum. in l. ſtipulatio iſta §. hac quoque, ff. de verborum obligationib. ibi Gloſſa & Bartolus.* Non debet igitur Sacerdos nimium eſſe curioſus aut diligens perſcrutator. *Gloſſa in cap.* 41. *de reſcriptis.*

Ex his colligitur, quod Hoſtienſis *in ſumma de pœnitentiis & remiſsionibus*, male arguat Regulares, quod pœnitentes non curioſè diſcuſſos abſolvant.

Item, Pœnitens confeſsionis tempore examinari non debet in fide; quia Confeſſarius eam ſupponit in pœnitente: ſicut & Baptiſmum, fidei Sacramentum, & Sacramentorum fundamentum. *Cap.* 3. *de Presbytero non Baptizato.* Diverſum eſt officium Catechiſtæ & Confeſſarii. Promiſcuis actibus officia non ſunt turbanda: neque quis in uno eodem-

demque tempore vicem duarum Perſonarum ullatenus ſuſtinet. *L. fin. Cod. de Aſſeſſoribus*, *& Gloſſa in cap. fin. de inſtitut.*

Si ſit adeo hebes & obtuſus ingenio, ut neceſſaria rudimenta Fidei nequeat memoriæ mandare: ſufficit quod ea explicitè credat, dum tempore & loco aptè interrogatur, aliud enim eſt ſcire, aliud credere. *Arg. in c. in domo. V. etſi abiero: de pœnitentia, diſt.* 4. Hominis memoria labilis eſt. Et dicitur ſcire, quod indubitanter credit. *Gloſſa in l. ſi quis extraneus, §. ſciendum, verſ. quid ſi tamen ignoret. Ibi Doctores, ff. de acquirenda hæreditate.*

QUÆRITUR XXXX.

Utrum Confeſſio annua obliget?

RESPONSIO.

QUi ſemel in anno ſunt confeſſi lucrantur Indulgentias, dummodo ſint contriti; quia clauſula, *Contritis & Confeſsis*, intelligitur de Confeſsis ſecundum Statutum Eccleſiæ, id eſt, ſemel in anno, vel confiteri volentibus. *Abbas in cap. omnis, n.* 21. *de pœnitentiis & remiſsionib. Imola & Cardin. in Clem. unica, de Reliquiis & veneratione Sanctorum.* Clauſula ſecundùm jus commune recipit interpretationem, *Cap. cauſam, quæ* 18. *de reſcriptis.* Nec trahi debet ad ullam temporis

dif-

differentiam, ſi per hoc impediatur conceſſio Principis. Facit: *Innocentius in cap. cum dilecti, de donationib.*

Etiam in mortali exiſtens, ſi facit opera præſcripta, Indulgentias lucratur eo modo; ut recedente fictione recipiat earum fructum; quia hoc poſsibile eſt, & id à voluntate concedentis dependet. Ideoque pium eſt dicere id concedentem voluiſſe; non enim decet, nec expedit has conceſsiones amarè interpretari. *Gloſſa in Clem. unica v. Confeſsis, de Reliquiis & veneratione Sanctorum.* Intendit largitor, ut valeant, quantum valere poſſunt.

Expreſsiſſet, ſi aliud voluiſſet. *Argum. in cap. ad audientiam.* 12. *de decimis.*

Videtur Hermaphrodita comprehendi ſub Eccleſiaſtica conſtitutione *Capituli omnis utriuſque ſexus, de pœnitentiis & remiſsionib.* Etiam quoad pœnam ibidem comminatam ob rationem, quam infrà allego de ſene: Quamvis in materia pœnali generaliter ſub ſimplici non veniat mixtum. *Cap. ſtatutum de election. lib. 6. Gloſſa in §. omnium inſtitut. de action. Bald. Conſ.* 141. *præmiſsis verbis colum. ultim. lib.* 1. *Jaſon Conſ.* 74. *in caſu præſenti, l.* 3.

Puer ſeptennis non obligatur, ſaltem ſub obligatione hujus pœnæ, quia ad annos diſcretionis non cenſetur perveniſſe puerili ætate currente: quæ finitur in anno decimoſeptimo completo. Tunc enim plena adeſt

cum

Digitized by Google

cum pubertate diſcretio. *L. 1. ff. de poſtulando.* Communiter non præſumunt jura quod ſit quis doli capax, niſi ſit proximus pubertati. *Angelus in l. impuberem, ff. de furtis. Andr. Barbatius ad Abbatem in cap. pueris, de delictis puerorum.*

Pubertas interdum annos prævenit, ut patet in Salomone puero novenni, qui ex complexu nutricis ſuæ genuit Roboam. *Gregor. IV. Dialog. cap. 19. Gloſſa in ſumma 20. q. 1.* Et in anno decimo imprægnavit Filiam Regis Pharaonis. *Refert Hieronymus apud citatum Andr. Barbat.* ſed lex editur pro iis, quæ ut plurimum eveniunt. Quidquid raro accidit Miraculum eſt. *Gloſſa in cap. legimus, v. paucitatem, diſtinct. 93.*

Viro citius mulier conſtringitur legibus; derivatur in ea anno decimo-quarto plena pubertas. Ait Glòſſa: mala herba cito creſcit: & citius eſt mulier ſubdola & avara. *In l. 2. Cod. de his, qui veniam ætatis impetrarunt.*

Senex ſubeſt ſtatuto pœnali *Capituli omnis, de pœnit. & remiſſ.* quia odium pœnæ prætactæ favorabile eſt, & inſtigat ad finem animæ: in infirmo enim & ſeneſcente augetur robur corporis & animi per pœnitentiam. *Argum. in cap. cum infirmitas, de pœnitentiis & remiſſionib.*

Excuſatur tamen ſenex ab obſervatione jejunii Eccleſiaſtici, quia ſtatutum loquens in caſu infirmitatis, habet locum in caſu ſenectutis. Ait Terentius: ipſa ſenectus morbus

eſt. *Abbas in cap. magnæ, de voto*, ſenectus incipit in quinquageſimo anno: *Gloſſa in prooëmio libri ſexti Decretal.* & poſt quinque ſequentes annos liberat à labore & ſervitute jejunii, quia canon mitior eſt lege; quæ tamen hujuſmodi annoſum eximit ab omni munere perſonali. *L. 2. §. fin. ff. de decurionib. & l. 3. Cod. qui ætate, lib.* 13. eſt enim morti proximus. Qui habet 42. annos, lex præſumit eum vivere 18. annis uno minus. *Textus & Gloſſa in l. hæreditatum, ff. ad legem falcidiam.*

Mulier citius abſolvetur ab obligatione jejunii: quia viro naturâ frigidior eſt, & velocius calor naturalis in ea deficit. *Tiraquell. l. 9. connub. num.* 142. *& ſeq.* Ideoque dum ætate ſterilis eſt, ſenex reputatur. *Argum. cap. cum ſis, de converſione conjugatorum. Hoſtienſis num. 4. ibid. & Gloſſa in v. ſterilis.* Ut plurimum, fœminæ ætate ſteriles ſunt in anno 45. *Ariſtoteles lib. 5. de Hiſtor. animal. c.* 14.

Occaſione jejunii ſubjungo ſequentia.

Nulla lex Pontificia vel Conciliaris ſtatuit jejunia verbis præceptivis. *Navarrus in manual. cap. 21. num.* 11. Tamen obligatio jejunandi ex Communi Eccleſiæ interpretatione eſt recepta: ita, ut ejus transgreſſio reputetur mortalis ſi fiat ex contemptu. *Cajetanus 2. 2. q. 147. art. 3. Zabarella apud Angelum. V. jejunium & in V. inobedientia citat D. Thomam, Richard. Archidiac. Geminianum.* Confirmat S. Bernardus: non qualiſcumque mandati præteritio cri-

criminalem inobedientiam facit: ſed repugnare, & nolle obedire. *Lib.* 11. *de præcepto & diſpenſatione.*

Cum tota Eccleſia præcepta majorum tanquam leges Apoſtolicas recipiat: *Cap. utinam, diſtinct.* 76. legeſque adaptentur naturæ corruptæ, *Cap. erit autem, diſtinct.* 4. quæ pondere infirmitatis quodammodo labitur ad delicta, *Authent. de Monachis, §. ſi quis igitur, col.* 1. refrænant concupiſcentiam vel præcipiendo bona, vel prohibendo mala. *Cap. privilegia, diſtinct.* 3.

Sed quia malæ hominum voluntates ad plenum coërceri non poſſunt ſufficit legiſlatori quod finis legis in toto non fruſtretur: quod fit, ſi ſubditus, quantum fert humana fragilitas, bene agat, licet interdum cadat, dummodo in brevi per abſtinentiam reſurgat: non enim jejunantis vocabulum amittit, qui per abſtinentiam ſemper reſurgit. *Argum. in cap. ſepties, diſtinct.* 3. neque videtur eſſe, quod non duravit. *Gloſſa in cap. nam & ego, de verborum ſignification.* Et in brevi reverſa uxor non divertiſſe videtur. *L. quidquid*, 48. *ff. de Regulis juris.*

Si igitur in frangente jejunium remaneat habitualis propenſio abſtinendi à cibis vetitis ſecundum ordinem & modum ab conſuetudine Eccleſiæ præſcriptum: ratio finalis legis non ceſſat: quia ejus ſuperſtant reliquiæ. *L. unius §. ſervus, ff. de quæſtionib. l. fin. ff. decurion. & l.* 2. *&* 3. *ff. rerum amotarum. Gloſſa in Regula*

Digitized by Google

decet libr. 6. Hanc opinionem quidam affirmant Theologi & Canoniſtæ. Sed eſt nimis periculoſa.

QUÆRITUR XXXXI.

Utrum Sacerdos poſſit Abſolvere nolentes deſiſtere à Choreis ?

RESPONSIO.

CHorea eſt de genere eorum, quæ benè, vel malè fieri poſſunt : oriri enim poteſt, vel ex recreatione, vel exercitatione, aut lætitia animi, vel ex diſſolutione mentis laſcivæ. *Silveſter, verb. Chorea*, *& alii.* Igitur neque bona; in ſe, neque mala judicanda eſt : quia hoc non probat eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe. *Cap.* 2. *de tranſlatione Epiſcopor.* Interdum ex ea profluunt bona, conciliatur benevolentia inter adoleſcentes & puellas, eoſque plerumque matrimonialiter copulat. Non eſt eliminanda Chorea ex eo, quod interdum mala ſubrepant : nam propter paleam non relinquimus aream. *Cap. quiſquis* 24. *q.* 1. per Doctores approbatur Chorea non veſtita circumſtantia mali. *Sylveſter & Angel. V. Chorea. Marchant in Reſolut. circa* 6. *Præceptum Decalogi*, *quæro* 6. *caſu* XI. *Filucius Pœnitentiarius S.D.N. ad S. Petrum in tract.* 33. *in* 6. *præcepto*, *cap.* 10. *num.* 224. *Cajetanus in ſumma*, *V. Chorea Azor.* 3. *p. lib.* 2. *cap.* 26. *Lopèz* 2.*p.c.* 31. *V.* 3. *Nider in Decalog. Præcept.* 6. *c.* 3. *num.* 4. *& alii plures.*

QUÆ-

QUÆRITUR XXXXII.

Vtrum poſſint prudenter prohiberi Choreæ?

RESPONSIO.

NEgativè; quia qui nubere non poſſunt, prohibentur nuptiis & Choreis intereſſe. *Cap. Præsbyteri, diſtinct.* 34. ergo poſſunt Chorizare nubere valentes. Senſus contrarius pro lege accipitur, ita quod illud, quod venit à contrario ſenſu, habetur perinde ac ſi eſſet expreſſum in lege, vel canone. *Gloſſa notabilis in l. qui Teſtamento §. mulier; ff. de teſt.* Ideoque ſententia lata contra Argumentum à contrario ſenſu: eſt lata expreſſo juris errore, & ſic nulla. *Alex. de Imola in l. apud Antiquos, in Apoſtillis ad Bald. Cod. de furtis.*

Interdici non debent Choreæ ob mala, quæ ſæpè ſequuntur: quia utile per inutile non vitiatur. *Regul.* 37. *lib.* 6. Sicut non prohibetur militia, mercatio, procuratio; quamvis vix ſine peccato fiant. *Gloſſa in cap. qualis, diſtinct.* 25. *cap. falſas, & cap. qualitas, de pœnitent. diſtinct.* 5. *& Gloſſa in cap. decimæ* 16. *q.* 1.

Suſtinenda ſunt illa; ex quibus naſcuntur noxia: ſi in plebe ſcandalum, vel ſchiſma ex prohibitione timeatur. *Cap. non poteſt.* 23. q. 4. vel ratione multitudinis v. g. Chorizantis. *Cap. ut conſtitueretur, diſtinct.* 50.

Ait Auguſtinus : „ Commeſſationes & ebrietates ita conceſſæ & licitæ putantur : ut in honorem beatiſſimorum Martyrum non ſolum per ſolemnes dies . . . . ſed etiam quotidie celebrentur . . . . non ergo aſperè, quantum æſtimo, non duriter, NON MODO IMPERIOSA ISTA TOLLUNTUR : ſed magis monendo, quam minando ; ſic enim agendum eſt cum multitudine peccantium in *Cap. commeſſationes, diſt.* 44.

Eodem jure, quo tollerat Eccleſia bacchanalia, tollerandæ videntur Choreæ ; quia à tali conſuetudine averti non poſſunt : ideóque cum venia ſuo ingenio relinquendi ſunt, ne forte pejores exiſtant, ſi à tali conſuetudine avertantur, ut eum, ait Salomon, qui multum emungit, elicit ſanguinem, *Cap. fin. diſtinct.* 4.

Quando Choreæ ducuntur publicè, non eſt præſumendum, quod ex iis mala contingant ; quia tenebræ aptæ ſunt libidini. *Cap. litteris, de reſcriptis* : & tenebræ aptiores ſunt ad fabricandum malum. *L.* 1. §. *ſi mulier, ff. de ventre inſpiciendo.*

Si interroges ruſticos, alioſque viros prudentes & timoratos : utrum ut plurimum in ſaltationibus publicis, quæ fiunt in tabernis coram confluente multitudine, perpetrentur laſciva ? negabunt. Igitur Sacerdos adverſus publicè facta ineptus eſt contradictor. *Gloſſa in cap.* 2. *diſtinct.* 52.

Si

Si ut plurimum non eveniant mala, lex prohibitiva nulliter editur: quia lex non editur propter bonas fœminas; quia raræ ſunt: ſed propter malas; quia multæ ſunt. *Ita Gloſſa in l. 4. ff. de legibus.* Lex id, quod fit plerumque, reſpicit & medetur. *Authent. ut ſine prohibitione Matres, §. quia verò.*

Unde ergo trahitur præſumptio mali? non aliam reperio radicem, quam præſumentis naturam corruptam. *Gloſſa in Regul.* 8. *lib.*6. ob quam de hujuſmodi præſumente dici poteſt: in via ſtultus ambulans, cum ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos æſtimat. *Eccleſiaſtes c.*10.

Si juvenes arceantur à tripudiatione, vacabunt otio, vel ebrietatibus in feriis. In deſideriis eſt omnis otioſus; vagatur pernitioſis cogitationibus, & ad inſtar fornicantis Iſraël omni tranſeunti divaricat pedes ſuos, *Argum. cap. nunquam; de conſecrat. diſt.* 5.

Et venter mero æſtuans facile ſpumat in libidinem. Ubi ebrietas, ibi libido dominatur & furor. *Cap. venter, diſtinct.* 35. Ebrietati deſervientes excommunicandi ſunt. *Cap.* 1. *diſtinct.* 35. eſt enim omnium vitiorum fomes & nutrix. *Cap. fin. diſtinct.* 35.

In jure, Chorea non præcipitur Cenſurâ conſtringi: proinde, ſi ſit culpa, minor videtur, quam ebrietas, majoritatem enim culpæ indicat gravis pœna cenſuræ; quæ eſt menſura delicti. *Gloſſa in cap. ſine culpa, de Regul. jur. lib.* 6.

Ultimò, cum communiter ruſticis in ſacris feriis vel ſit otiandum, vel potandum, vel ſit tripudiandum: tripudium indulgenter convenit tollerari, tanquam minus malum. *Cap. duo mala, diſt.* 13.

Non convenit alterare morem vetuſtum, qui habet vim conſtituti, *L. hoc jure §. ductus aquæ, ff. de aqua quotidiana & æſtiva.* Quemque Epiſcopi litterati olim non reprobarunt: cum nulla de novo emergat prohibendi neceſſitas, vel utilitas: quibus ceſſantibus corruit anima legis, & ratio condendi legem. *Argum. in Cap. erit autem, diſtinct. 4. & cap. Regulæ, diſtinct.* 29.

Ex tali prohibitione in turbata multitudine non eventus bonus, ſed oriri poteſt legiferæ poteſtatis vilipenſio damnabilis, nam quiſque paſſionis tempore juſtum putat omne, quod facit. *Cap. illa præpoſitorum* 11.*q.*3.

Per Canones Choreæ prohibentur Clericis, ſi ſint diſſolutæ & fiant in locis Sacratis. *Clem.* 1. *de Celebratione Miſſarum.* Eadem ratione prohibentur in publico Monialibus. *Clem.* 2. *de ſtatu Monachorum.* Facile ex hujuſmodi ludo devenitur ad amores: ait Cyprianus: nec computari jam potes inter puellas virgines Chriſti, quæ ſic vivis, ut poſſis adamari. *Gloſſa d. Clem. V. Feſta.*

QUÆ

QUÆRITUR XXXXIII.

Vtrum Clericus ſit Abſolvendus crebrò Ludens Aleis , &c. ?

RESPONSIO.

LUdi habent nomina ab iis in quibus exercentur: ideoque plures ſunt, quam vocabula. *L. natura , ff. de præſcriptis verbis.*

Si ſint intrinſecè mali: nomen ludi amittunt, ait Textus in Proëmio, *ff.* QUIS ENIM LUDOS APPELLAT EOS, EX QUIBUS CRIMINA ORIUNTUR; HÆC ENIM FIERI NULLO PATIMUR MODO. Ex peccato nomen amittunt, *Gloſſa in cap. reſuſcitatus , verſ. diaboli , de pœnit. diſt.* 1. Peccatum (cum nihil ſit) ducit ad non eſſe: juxta illud: ſine ipſo factum eſt nihil. *Gloſſa in cap. convertimini, verſ. velut , de pœnit. diſt.* 1.

Lex, de cujus natura eſt, quod ſit honeſta, *Cap. erit autem , diſt.* 4. In omnibus ſemper reſpicit honeſtatem. *Gloſſa in cap. magnæ , verſ. liceat , de voto*: Conſequenter, ſi ludus ſit noxius, aut inhoneſtus: eum tanquam ſpurium lex abhorret. Nominari ſpurios ſatis injurioſum & indignum reputamus. *L. ſi qua illuſtris , Cod. ad Senatuſconſultum Orficianum.*

Si ludus alearum in ſe malus eſſet, hunc

nun-

Digitized by Google

nunquam jura fuiſſent paſſa : imo minus conceſſiſſent. Tamen ALEARUM USUS ANTIQUA RES EST EXTRA OPERAS PUGNATORUM CONCESSA. *Authent. alearum*, *Cod. de Religioſis*, *& ſumptibus funerum.*

Lex non ſolum concedit hunc ludum, ſed & approbat pro convivio, *L. quod in convivio*, *ff. de aleatorib.* Per conſequens auctoritativè coôperatur & influit; quod ſine peccato fieri non poſſet, ſi in ſe eſſet malus. *Cap. ſuper eo, de uſuris.C. furto*, 12. *q.* 5. *Gloſſa in c. ait, diſt.* 14.

Reflecte ad Authent. *alearum*, *Cod. de Religioſis & ſumptib. funerum*: Ibi dicitur:
„Verum pro tempore prodiit in lachrymas
„multa extranearum nationum ſuſcipiens:
„quidam enim ludentes nec ludum ſcientes;
„ſed numeratione tantum proprias ſubſtan-
„tias perdiderunt DIE NOCTUQUE ludendo
„in argento, apparatu, lapidibus & auro.
„Conſequenter autem ex hac inordinatione
„blaſphemare, id eſt, Deo maledicere co-
„nantur & inſtrumenta conficiunt: com-
„modis igitur SUBJECTORUM proſpicientes
„hac generali lege DECERNIMUS, ut nulli
„liceat in publicis vel privatis Domibus lu-
„dere, vel inſpicere, &c.

Si aſpectus vel intereſſentia coôperativè influat in ludum: aſpectus ſortitur naturam ludi: ſi igitur ludus ex prohibitione ſit malus, & aſpiciens non corrigit; conſentit erranti, *Cap. error*, *diſt.* 83.

Digitized by Google

NOTA. Hæc Juſtiniani Sanctio tangit SUBJECTOS, non Clericos, neque in conſcientia obligat: quia prohibet per verbum DECERNIMUS, quod non inducit ad mortale. *DD. & Abbas in cap. nam concupiſcentiam; de conſtitutionib.*

Si dicas, quod extet lex præceptiva directè involvens Clericos aleatores, eoſque per triennium à miniſterio ſuo arcens, *Authent. de Sanctis Epiſcopis §. interdicimus, Collat. 9.*

RESPONDETUR: Quod Imperator non habeat directè in Perſonas Eccleſiaſticas poteſtatem, *Cap. Eccleſia S. Mariæ, de conſtitut.* Et Executoris ſeu Proviſoris Officium nulliter ab eodem injicitur Epiſcopis; quia, cum in Epiſcopis deëſt ſubjectio, deëſt omnimoda in Imperatoribus imperioſa juriſdictio. *Barthol. in l. 1. ff. de juriſdictione omnium judicum.*

Allegatur Canon 41. Apoſtolorum puniens Clericos vacantes aleis; ſed reſpondetur cum Gelaſio Papa: LIBER CANONUM APOSTOLORUM APOCRIPHUS EST: *In cap. Sancta Romana, diſt. 15.*

Iſidorus affirmat, quod Canones Apoſtolorum Sedes Apoſtolica non recipiat; *Cap. Canones, diſt.* 16. de numero Pontifices variant. 80. recipit ſexta Synodus; hæc ſuſſpecta eſt: quia in ea præſedit Imperator: uti notat ad *cap. Allegatum*, impreſſio Gallica de anno 1587. Quidquid de eo ſit:

in-

Digitized by Google

interim multi ex his Canonibus ſunt per contrarium uſum aboliti : & ſi forent Apoſtolorum, Papa interdum non contraveniret : quia contra Apoſtolum non diſpenſat ; *Cap. ſunt quidam* 25. *q.* 1.

Aliter reſpondeo : Apoſtoli vetant vacare aleis ; non ludere : & interdum ludere, non eſt vacare ; *Leſsius de juſtitia & jure, lib.* 2. *cap.* 26. *dubit.* 1. *num.* 5.

Neque Innocentius III. ſub peccato indifferenter prohibet alearum ludum in *Cap.* 15. *de vita & honeſtate Clericorum* : Ubi ait : „ Et tabernas prorſus evitent ; niſi forte „ cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti. Ad „ aleas & taxillos non ludant.

Loquens de tabernis per ly prorſus ſuam enixam voluntatem declarat ; quoad aleas & taxillos non utitur verbis præceptum importantibus ; verbum enim, *non* LUDANT, æquivalet imperativo, quod non obligat ad mortale. *Argum. in cap. paratus* 23. *q.* 1.

Idem Innocentius III. ferit Clericum aleatorem publicum, *in cap. inter dilectos*, *de exceſsibus Prælatorum.*

Hæc qualitas publicitatis ſubintellecta & repetita cenſetur in Canonibus de alearum ludo loquentibus ; Papa enim in ſcrinio ſui pectoris habet qualitates ludum inficientes, proinde eas tacitè repetit, & ſubaudit. *Argum. in Cap.* 1. *de conſtitutionibus*, *lib.* 6.

Nullus extat Canon juris apertus, prohibens,

Digitized by Google

bens, & cenſurans occultum alearum ludum, conceſſum igitur intelligitur de Jure communi, quod non eſt prohibitum. *Cap. ad ejus, diſtinct. 5. & Argum. in c. qui ſpiritualem 30. q. 4. & c. ſunt nonnulli, 15. q. 1.*

Erubeſcat Theologus inducere peccatum ſine aperta lege. Erubeſcimus enim ſine lege loqui. *Authent. de triente & ſemiſſe §. conſideremus, collat.* 3.

Solummodo extat apertus Textus de aleatore publico, ut diximus. Ex hoc ne inferas, quod ille ſit publicus aleator, qui frequenter ludit. Si quis enim ludat tranſeunter, aut interpolatim, non poteſt dici publicus luſor. Ait Bartolus *in l. cives, Cod. de apellationib.* Notorium eſt quod habet actum permanentem, ut edicta in albo Prætoris; aut quod in platea ſit Palatium Principis: illa autem, quæ nũnquam habuerunt actum permanentem, ut vox, præconia, & hujuſmodi, non poſſunt tranſire in notorium, ſed bene in manifeſtum.

Vel publicum ſeu notorium factum eſt, cujus populus teſtis eſt. *Archidiaconus in cap. de manifeſta. 2. q. 1. & cap. cum dilecto, de purgatiône Canonica.*

Ludus alearum occultus causâ recreationis, & ſi in modico ludatur, eſt permiſſus v. g. pro convivio. *L. quod in convivio, ff. de aleatoribus.*

Causâ recreationis, Clericus in occulto jocu-

joculatoriam artem exercet. *Gloſſa in cap. unic. de vita & honeſtate, Clericorum, libr. 6.*

Et ob eandem cauſam citharas pulſat, & cithariſtis donat. *Gloſſa in c. donare, diſtinct.* 86. & ſi ſecludas illicitam voluptatem, intrat balnea, *Cap. pervenit, de conſecratione, diſtinct.* 3.

Purga ludum à cauſa mali; erit bonus, quia ceſſante cauſa, ceſſat effectus, *L. adigere §. quamvis, ff. de jure Patronatus.*

Cauſa, ſeu ratio, ob quam prohibetur ludus alearum, eſt propriæ ſubſtantiæ dilapidatio, ex qua ſequi ſolet blaſphemia, & rixa. *Authent. alearum, Cod. de Religioſis & ſumptibus funerum.*

Si igitur ludatur gratis, aut pro modico, non datur dilapidatio nutritiva rixæ & blaſphemiæ, quia modicum quid non nocet, neque ex modico movetur animus, *Cap. & ſi quæſtiones, de ſymonia.* Conſequenter ſi non habet locum ratio legis, nec locum habet ipſa lex. *L. 1. Cod. interdictis. Archidiaconus & Geminianus in cap. ubi periculum, de election. libr. 6.*

Talis ludus innoxius, ſi ſit ſine deordinatione, non dedecet Regulares foris de licentia Abbatis exiſtentes; quia ex quo foris degunt, omnia eis conceſſa intelliguntur, ſine quibus commodè non poſſint vivere; *Gloſſa in cap. 11. ex parte, de accuſationibus.*

Honeſta ludi recreatio eſt animi medicina:

me-

medicina verò venit ſub neceſſariis alimoniæ & vitæ, *L. legatis, ff. de alimentis & cibariis legatis. DD. in cap. cum ſecundum, & in cap. non liceat de præbendis.* Tales Regulares irreprehenſibiliter poſſunt perdere 4. vel 5. florenos in centum. *Sotus lib. 4. q. 5. art. 2. Leſſ. de juſtit. lib. 2. cap. 26. dubitat. 5. n. 37. qui citat. Navarr.*

De Regulari beneficiato non eſt ſeverius loquendum, quam de reliquis beneficiatis, quia ille liberè diſponit, & donat ſine licentia Abbatis. *Clem. 2. de vita & honeſtate Clericorum.* Talis eſt Praxis Urbis & Orbis. Ita *Navarr. comment. 2. de Regul. n.. 10. & 11. & tract. de reditib. Eccleſ. q. 3. monitio 25.*

Clericus Regularis, vel Sæcularis perſolutis debitis officiis melius per horas ludit, quam otietur. Malum quidem eſt deviare à Divinis Officiis propter ludum. *Argum. in l. generaliter, Cod. de Epiſt. & Clericis.* Sed eis expletis, melius eſt ludere, quam otiari. *Leſſ. de juſtit. libr. 4. cap. 4. dub. 13. num. 98. Cajetani V. larvarum, in ſumma.*

Non congruè excipitur Regularis Canonicus NN. ob ſua Statuta, quæ tonant & fulminant in aleatores, quia ſtatuta ſunt facti, & in facto conſiſtunt: ſed cum citant, aut contineant jus commune; ſunt juris, & conſiſtunt in jure. *Gloſſa & Textus in cap. 1. de conſtitutionibus libr. 6.*

Propterea juris & Statutorum idem eſt intel-

tel-

tellectus de ludis publicis & ſcandaloſis; verbis enim ſtatutorum (ſi foret neceſsè) improprium intellectum dare debemus , ut minus recedatur à jure , *L. 2. Cod. de noxalibus actionibus.*

Mens Ordinis non eſt ultra legem naturalem, vel Divinam aut Canonicam per Statuta ad mortale ſuos arctare. *Patet ex Præfatione Statutorum* : quæ , ut rubrica , eſt de Textu. *Gloſſ. V. titulis , in proëmio , libr. 6.*

Igitur, cum conſtet de mente ſtatuentis, non eſt curandum de verbis , etiamſi ſint exorbitantia , & contradicant menti. *Argum. in l. ſcire oportet , §. aliud , ff. de accuſat. tutorum.*

Ubi enim manifeſtiſſimus eſt ſenſus Teſtatoris , interpretatio verborum nuſquam tantum valet , ut melior ſenſu exiſtat. *L. 3. Cod. de libertis præteritis.* Quia non in foliis , ſed in ſenſu conſiſtit Evangelium. *Cap. Marchion. 1. q. 1. & cap. intelligentia , de verborum ſignification.*

Arguis : Communis Doctorum opinio affirmat ludum alearum eſſe prohibitum. *Diana p. 4. tr. 4. reſ. 183.*

Resp. Niſi videro loca Canonum , non credam aliter Evangelizantibus , ubi nulla lex , nulla tranſgreſſio , *Cap. dixit ſacra 32. q. 4.* Hoc unicum credo , quod grues unam ſequantur ordine litterato. *Cap. in Apibus , 7. q. 1.*

Iterum

Iterum Objicis: S. Saleſius de ludis prohibitis, *L. 3. c. 32.* affirmat ludos fortunæ eſſe in ſe malos.

Resp. Taxillorum ad tabulas & chartarum ordinarius ludus non innititur ſolum fortunæ; ſed & induſtriæ in tabulis ducendis, vel chartis exponendis. *Angelus in ſumma, verb. ludus, n.* 3. Idcirco imperitia ludentium occaſionem dedit prohibitioni, ait Textus: quidam enim ludentes, nec ludum ſcientes &c. *Authent. alearum, Cod. de Religioſ. & ſumptib. funer.* Item ſub ſimplici non veniunt mixta in materia ſtricta, *L. ſi ita, ff. de liberis & poſthumis.* Vel dic S. Saleſium in hac opinione eſſe ſingularem: cumque eam per probabiles rationes non probet, ab eo recedi poteſt, *Cap. ego ſolis, diſt.* 9. nec ſanctitas perſonæ prodeſt, ut citius credatur. *Cap. ſi quis præpoſtera, diſt.* 50.

Si adulatoriè adſcribatur Capitulo Generali Canonici Ordinis Magiſtralis Auctoritas interpretandi Canones:

Notari debet, quod clavis juriſdictionis (non vero clavis ſcientiæ) certè inſit Capitulo; ſcientia enim eſt ab eventu; nec à natura ineſt dignitati difinitorum. *Authent. de quæſtore, §. hæc omnia, collat.* 6. *& l.* 1. *Cod. de excuſationibus artific. & c. ſic vive.* 16. *q.* 1.

Pondus Capituli in Doctrinalibus pendet à ſcientifica auctoritate Præſidentium; qui numero debent eſſe quatuor: inter quos non requiruntur Canonum clara imbuti ſcientiâ, ſed viri in Regulari Obſervatione longa experien-

tiâ triti. In his quatuor cardinibus totus verti-tur Ordo. *Argum. in c. in ſingulis, de Statu Monach.*

Ultimò, juſtificat aleas praxis & uſus, ſeu conſuetudo ludentium, in jure peritorum, Religioſorum, Prælatorum, & indifferenter timoratorum; ſi enim eſſet peccatum, non facerent. *Cap. omnis 7. q. 1.*

Et præſumitur eo ipſo bonum, quod à bonis fiat. *C. cum beatiſſimus 24. q. 1. & c. Lugdunenſis 9. q. 2. & c. expedit, 12. q. §. & c. omninò, diſt. 21.*

Imo ſi Hiſtorias conſulas: Chartis Chriſtus luſit, *in vita S. Roſæ.* Exempla probant, *Gloſſa in cap. qui de menſa, diſtinct. 37.*

Objicis: Jus improbat hanc conſuetudinem tanquam corruptelam. *Cap. inter dilectos, de exceſſibus Prælatorum.*

Resp. Oculatis patet, quod Textus ibidem loquatur de publico aleatore, & de conſuetudine uſurariè mutuando pecuniam in ludo.

Aliter reſpond. ſaltem admitti debet, quod ſuper hujuſmodi conſuetudinis validitate ſit altercatio Doctorum: quæ cauſat juris inculpabilem errorem. *Innocentius in c. per tuas, de ſymonia, & Gloſſa cum Text. in c. unico de poſtulatione Prælatorum, lib. 6. C. inter corporalia, Verſ. fin. ibi majorum ſecutus errorem, de tranſlat. Angel. v. opinio 1. & 2.*

Opinio doctè altercantium benignior amplectenda eſt. *Argum. l. benignus, ff. de legibus. Facit cap. fin. de tranſactionib. Paulus in Clem. ne Romani, in principio.*

Quia ſolvit; non ligat, *L. Arrianus ff. de actionib. & obligat.*

Cum igitur transgreſſor ſolvitur à culpa, nullatenus fit ſervus pœnæ; quia pœna eſt menſura culpæ. *C. ſane, de officio delegati & c. fin. de tranſactionib. & c. ſicut dignum, de homicidio.*

Dicis ultimo: naturæ vox hos ludos proſcribit. Wiggers 2.2. *dub. 2. n. 6. de ludis & ſponſ.* Resp. Contrarios Auctores ſurdos arguis, Vox enim Communis eſt omnibus *Cap. jus Naturale, diſtinct. 1.*

QUÆRITUR XXXXIV.

Utrum Abſolvendi ſint jurantes ex habitu.

RESPONSIO.

Habitus ſeu conſuetudo jurandi, quæ eſt altera natura, ut ex Philoſopho aſſerit *Surdus, de alimentis tit. 1. num. 7.* Hominem dementat, & ut plurimum tollit advertentiam, & obfuſcat judicium, ſine quo comite non eſt propriè juramentum; ut patet in furioſo, *Cap. ult. de ſucceſſionib. ab inteſtato,* & in puero, *Cap. parvuli 22. q. 5.* Quia, cum abeſt judicium, neſcit quid facit, *L. 1. Cod. de falſa moneta.*

Jurantes hujuſmodi, ſi non reflectant ad verba, nihil dicunt, quia non dicunt illud, quod cogitant, neque vox illud ſignificat: & quod vox ſignificat, illud dicere non intendunt. *Argum. in l. in ambiguo, ff. de rebus dubiis:* Hinc verſus: Non niſi mente reâ, fit rea lingua mea. *Cap. homines 22. q. 2.*

Mens hujuſmodi hominis non præſumitur velle jurare. Ubicumque conſtat de mente præ-

Digitized by Google

præſumpta, verborum qualitas non attenditur. *L. 3. Cod. de liber. præt. l. quoniam indignum, Cod. de teſt.* Incautela, vel jocoſa levitas jurandi, vel maledicendi, veniale peccatam arguit. *Diſtinct. 25. §. aliàs in fine.* Auditor enim in habituali jurante mentem jurandi ſubeſſe non præſumit; novit ille cui dicitur, causâ jocandi eſſe dictum. *Cap. ne quis 22. q. 2.*

Tamen conſuetudo jurandi, quamvis non ſit peccatum, ſed peccati effectus, extirpanda eſt per medicinales & diſcretas pœnitentias: quia facilitat hominem ad jurandum. Juxta Philoſophum, natura potentem, ars facilem, uſus promptum reddit artificem. *Gloſſa in cap. quam ſit, de elect. libr. 6.* Quidquid operatur habitus inordinatus operatur in virtute cauſæ principalis, ſc. voluntatis, & ut inſtrumentum ab ea robur & impreſſionem recipit, nec movet niſi motum. *Argum. in l. peto, §. prædium, ff. de legatis 2. l. ſi quis domum, §. 1. ff. locati. Surdus, Conſ. 420. num. 4.* Et actus attribuitur principio moventi. *L. item Mela §. de ff. ad legem Aquilaum, l. ſi Pater in fin. ff. 1. manumiſſis vindicta, l. 3. §. ſi Procurator, ff. quod quiſq; juris.*

Igitur principaliter corrigenda eſt voluntas, quia fruſtra quis ramos incîdit, qui radicem non evellit. *Cap. quia radix, de pœnit. diſt. 2.*

Hac intellige, ſecluſo ſemper ſcandalo. Si hac arrideant, plures lucrubrationes ejuſdem Authoris luci dabuntur.

FINIS.

ERRATA

Digitized by Google

PROTESTATIO.

FRANCISCVS DE PERETTO S. THEOL. DOCT.

CVM alias Folia quædam in Materia de *SACRAMENTO POENITENTIÆ*, quod multipliciter hodie prætextu ſtrictioris diſciplinæ & reformationis prætenſorum abuſuum impugnatur, compilaſſem ex Sanctis Patribus, Canonibus, & quibuſdam legum additamentis, eaque communicaſſem quibuſdam, factum eſt ad inimicorum manus perveniſſent, & obtenta ſuper iis, quæ bona viſa ſunt Approbatione, varia tamquam ex mente mea vel à me intenta aut compoſita ſint obtruſa per ignarum aut malevolum leguleium, forſan, ut vel ſanctam Sedem, cujus Authoritas impetitur, vel Illuſtriſſimos Epiſcopos, quorum Iuriſdictio læditur, in me concitaret; vel illi, qui Religioſos, alioſque accuſant de variis exceſſibus aut laxitatibus, qnas probare non poſſunt, haberent ſaltem ex Libello, nomine meo edito, aliquam ſpeciem probationis ſuarum calumniarum, & fundamentum apparens novitatum, & contradictionum. Quapropter declaro Libellum iſtum, cui Titulus *DISCVSSIO IVRIDICA ET CANONICA NOVELLÆ PRAXIS POENITENTIALIS*, prout eſt impreſſus, non eſſe meum, & plurima partim inſerta, partim extracta eſſe contra voluntatem & mentem meam; eundemque reprobo penitus, eamque reprobationem omnibus, quantum poſſibile eſt, notam fieri cupio, & propterea prælo dari curavi die 24. Octob. 1684. FRANCISCVS DE PERETTO.

Digitized by Google

NICOLAVS DV BOIS
Sacrarum Litterarum Primarius Profeſſor, &c.

Omnibus has viſuris Salutem.

CVM prodierit Libellus, cui titulus, *Diſcuſſio Iuridica & Canonica novellæ praxis Pœnitentialis*, tamquam à me approbatus: declaro hic contigiſſe, quod aliquoties adhuc anteà factum eſt mihi; nominatim in editione Libelli, cui titulus, *Cònverſio Peccatoris, Authore quodam le Felon*, (contra quem actâ Notariali & publicâ ſum proteſtatus) & intruſa eſſe diverſis in locis varia, partim falſa partim inepta, à me nullatenus viſa. Licet ſuper iis, quæ videram, & cenſueram bona, approbationem dederim. Proinde prædictum Librum (uti impreſſus eſt) improbans, & in futurum adverſus facta ſimilia & intruſiones, caveri volens, declaro quod qui impoſterum à me Cenſuram, ſeu Approbationem obtinere volet, priùs conficiat duo manuſcripta exemplaria, quorum unum à ſe in ſingulis paginis ſignatum penes me relinquat; nullatenus autem (ut factum eſt) repetat imprimendum. Et ut hoc ad omnium notitiam deveniat, hæc imprimi & publicari per affixionem, in locis ſolitis mandavi. Datum Lovanii vigeſima ſexta Octobris Anni 1684.

NICOLAVS DV BOIS.

Cor-

Digitized by Google

Correctio primæ impreſſionis DISCUSSIONIS JURIDICÆ, &c. *facta per Cenſorem juxta mentem Auctoris.*

PAg. 9: Reſponſio. Loco quamvis, &c. uſque ly à Judice · lege : Niſi Confeſſario ſit probabilis, & diſcreta credulitas de indiſpoſitione Pœnitentis, tenetur Abſolutionem impendere, propter periculum injuſtitiæ, ſicuti niſi ſit diſcreta credulitas de invaliditate Matrimonii mulier debet reddere debitum conjugale, ſi pars innocens petat, ne violetur juſtitia. Cap. 44. de ſent. excomm.

Quæſitum V. pag. 12. & 13. & Quæſita XV. & XVI. deleantur pag. 51. 52. 53. 54. 56. & ad Quæſ. XVII. ſit initium Reſponſionis poſt ly cap. denique diſt. 4. OCCASIO vocatur proxima, quæ quando adeſt, frequenter eſt cauſativa peccati poſſibilis evitari. Et proſequatur : dixi poſſibilis; omiſſis, quæ pag. 56. & 57. antecedunt.

Pag. 58. & 59. quæſitum finiatur cum ſua Reſponſione ad ly Tancredus in d. cap. Capellanus, deletis omnibus etiam Quæſitis uſque ad Quæſitum XXX. excluſive pag. 96.

Finiatur Opus in pag. 133. ubi poſt ly, ſecluſa lege ſpeciali, loco ibi ſubſequentium Quæſitorum, hac adde pro concluſione : qua Epiſcopi paſſim & merito Abſolutionem complicis inhibent ſeu excipiunt in ſuis inſtru-

ſtru-

Digitized by Google

ſtructionibus. Hactenus dicta humillimè S. Sedis judicio ſubmitto. Finis. Cætera quæſita à pag. 134. uſque ad finem ſeu pag. 164. deleantur.

Inſuper ſequentia ſic corrige vel adde pag. 26. lin. 8. *Sacerdotis*, adde: *aliud foret, ſi præciperet*. Pag. 43. 44. illud, *ſemper* toties repetitum, ſic modifica: *pro loco, & tempore, quando inſtat præceptum*. Pag. 118. lin. 18. *quoad pœnam*, adde, *ſaltem ex parte*. Pag. 119. *conſtringatur*, lege, inducatur.

Hiſce additione, correctione, ablatione; factis, quod ſupereſt videre lucem poterit: ita tamen ut nec his, in quibus ſunt plura, à me antea non viſa, prior approbatio præfigatur, ſed hæc ſola, quæ loco alterius cum ſubſcriptis notis apponatur, vel ſuprà affigatur. Datum Lovanii 29. Octob. 1684.

NICOLAVS DV BOIS
Librorum Cenſor.

AVCTOR, qui in ſuis ſcriptis, multa, ut ſolent Doctores, diſputative, examinanda, propoſuit, ſuper his, quæ Libello ejus, contra mentem ſunt inſerta, ubi Opus, & utilitati S. Matris Eccleſiæ prodeſſe poterit, mentem ſuam genuinam, aperiet non illibenter.

Digitized by Google

Excerpta ex probâ litterali Doctrina, & Senſus

R. D. JOANNIS RICHART

PRIORIS,

MONASTERII

DE VVAERSCHOOT

Circa multiplices Propoſitiones eidem inter 90. attributas, erutâ ex varijs ejuſdem Epiſtolis, Regulis, & Fundamentis ejus ad Tyrones Philoſophos & Theologos, dictatis, aliiſque Documentis, & Manuſcriptis, quibus præambulum Iuris, ſeu Apologia ipſius quoad multas reſponſiones, ad præfatas propoſitiones de falſitate conuincitur. ipſiuſque peruerſa ſcandaloſa, erronea, & hæretica Doctrina manifeſtatur.

Similes eſtis Sepulcris dealbatis quæ a foris parent Hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia, ſic & vos a foris quidem paretis hominibus Iuſti, intus autem pleni eſtis Hyprocriſi, & iniquitate. Matth: 23. verſ. 23. & 28.

Docere Magiſtros, arguere Seniores, imperare majoribus ſuperbi Spiritus eſt, & de ſe ipſo præſumentis. Hugo de ſ: victore lib: 3. miſcell. cap 2

Digitized by Google

Digitized by Google

INcipit proba litteralis ſic vna ex capitalibus propoſitionibus eidem R. D. Priori attributis eſt ſequens, quæ eſt ordine 33. tota Papiſtica Eccleſia paulatim fiet Cartheſiana, & Janſeniana. Hæc vti & aliæ, quæ tangunt Janſeniſmum, & authoritatem Pontificis; propoſitiones ad longum colliguntur, & apertè probantur ex epiſtolâ A 1. & A. 2. & ex libello ipſius manu propriâ conſcripto, & exhibito ſub litterâ B. fol. 103. præter hunc libellum ſunt inventi adhuc ſeptemdecim libri nil niſi Janſeniſmum, & doctrinalia prohibita continentes ex quibus ſua dictata, & 90. illas propoſitiones videtur hauſiſſe.

In eodem libello exhibito ſub litterâ B. fol. 81. ſic ſcribit. Gratia quæ conſenſum non infallibiliter elicit ſed fine alio auxilio modò efficax eſt modo inefficax, pelagiana & ſemipelagiana eſt.

Item in dictatis exhibitis ſub litterâ D. a præfato Domino conſcriptis, & compoſitis fol. 56. ſic habetur ac volendum non requi-

Digitized by Google

ritur indifferentia, ergo neque ad liberè volendum.

Item fol. 85. articulo 5. *quæ ſunt certa in materia gratiæ* ſic reſpondet. Certum eſt efficaci gratiæ nunquam ita reſiſti ut effectum ſuum non habeat, ad quem a Deo datur. Certum eſt gratiam actualem, quam efficacem vocant, præter quam nullam aliam actualem in hoc ſtatu agnoſcimus &c.

Item fol. 93. ſic habet. Hæc uſurpatio vocis gratia ſufficiens videtur friuola &c. Et ibidem fol. verſo Thomiſtæ, & moliniſtæ putant eſſe definitum per damnationem illius propoſitionis gratiæ interiori nunquam reſiſtitur, dari gratiam ſufficientem dico putant, quia non probant.

(A) Item in libello exhibito ſub litterâ B. fol 79. ſic habet. Gratia proxima poſſibilitatis non datur omnibus ſemper Iuſtis ſed benè remota, quæ conſiſtit in gratia ſanctificante. Et paulo infra: homo dum peccat non ſemper habet poſſe proximum, & completum complendi preceptum, quod tranſgreditur.

(A) Contra dicit capiti 11. & canoni 7. ſeſſ 6. Conc, Trid: cap. 11. ubi ſic di itur nemo temerariâ illa & a Patribus ſub anathemate prohibitâ, voce uti debet, Dei præcepta homini Iuſtificato ad obſeruandum eſſe impoſſibilia itē prima eſt inter damnatas propoſitiones Ianſenij.

Item

Item (*b*) fol. 121. verſo in dictatis Theologicis ita docet Ubi eſt voluntas, ibi neceſſariò eſt libertas, illa euidenter conuertuntur eſſendi conſequentiâ, proinde ſine ratione ratio eſt, quæ hoc tentat euertere gratię myſterium metuens perdere liberum arbitrium.

Item fol. 86. (*c*) id dictatis prędictis ſic loquitur de gratiâ habituali. Vox habitualis gratia non legitur in Scripturis nec in Patribus. Moderni Theologi illam vſurpant pro Dei beneficio, quo homo manet Deo gratus &c. Nullum eſt erroris periculum dum ultra non proceditur: ſed hic non hęrent; dicunt illud beneficium eſſe habitum ſiue entitatem creatam animæ infuſam peccati maculam expellentem, & inhærentem.

Et paulò inferius ſic pergit. Dico gratiam habitualem eſſe Spiritus ſancti fauorem animam in feruore charitatis continentem, gratiam autem actualem eſſe eundem fauorem &c.

Et iterum paulo inferius dicit. Nota me non conſtituere gratiam habi-

(b) vna præpoſitionibus Bay condemnatis.

(c) contra Conc: Vienenſe relatum in Clem: de ſummâ Trinitate. ſic habet opinionem quæ dicit tam paruulis quam adultis conferri in Baptiſmo gratiam informantem & virtutes tanquam probabiliorem & dictis ſanctorum, & Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam & concordem ſacro approbante Concilio duximus eligendam.

Contra Conc Trid: ſeſſ. 6. conc. 11. ubi ait ſi quis dixerit hominem iuſtificari vel ſo-

habitualem in fauore ſimplici Spiritus Sancti quod vetat Conc. Trid. ſed in fauore Dei & ſeruoris animæ commercio.

Et fol. 87. verſo. Igitur propter Spititus Sancti præſentiam, & vnionem cum animâ, quę conſiſtit in mutuo amore, dici poteſt Spiritus Sanctus gratia habitualis, & propter operationem quam exercet idem Spiritus gratia actualis.

Item fol: 88. verſo ſic ait. Quidam Theologi moderni audent inſimulare temeritatis, imo etiam hæreſeos illos accuſare, qui negant gratiam in juſto, quæ ſit habitus qualitas: quaſi verò Deus mundum velit ſaluare per vnam vocem Philoſophicam hactenus inexplicatam. Potius temeritatis arguendi ſunt accuſatores, qui contra Apoſtoli, & Patrum edicta & decreta tales voces propriâ authoritate in Sacram inuexerunt Theologiam.

Item (*d*) fol, 112. verſo ſic habet. Nos qui animam partium expertem, & ſimpliciſſimam cognoſcimus, dicimus illam præter ſe ipſam nullâ entitate poſſe ſuperveſtri ad ornamentum.

a imputatione Iuſtitiæ Chriſti vel ſola peccatorem remiſſione excluſâ gratiâ, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur; atque illis inhæreat, aut eam gratiam quâ Iuſtificamur eſſe tantum fauorem Dei anathema ſit. Contra (d) cap. 14. Ioannis in quo dicitur ego in Patre, & Pater in me eſt. Itẽ ex hac doctrina ſequitur paruulos non juſtificari in Baptiſmo niſi actu Deum diligant & ſicut per actum propriũ quærentur, & ſaluantur, poſſe ipſos etiam demereri, & damnari.

Item ibidem fol. 122. ſic loquitur. Ne mens noſtra in varias diſtrahatur entitates vocibus auditis Spiritus Sanctus, gratia, gratia actualis, habitualis, charitas, &c. memorandum eſt quod ſuperius probauimus, omnia illa eſſe vnam entitatem in animâ noſtrâ operantem vnum ſcilicet Spiritum Sanctum diuerſi modè vngentem.

(e) Item in libello ſub littera I. fol. 65. ſic habet. Gratia habitualis, virtutes infuſæ non diſtinguuntur a parte rei ab invicem, nec a donis Spiritus Sancti.

(f) Item fol. 43. in dictatis Theologicis ſic ait. Ut illæ proceſſiones (nempe diuinæ) benè intelligantur, ſemper recolendum eſt Dei naturam, ſiue eſſentiam conſiſtere in actu cogitandi.

Item in dictatis Philoſophicis ſuis cap. 6. metaph. q. 6. quid ſit prędicamentum relationis. Tit variæ quæſtiones, quæ hic poſſent moueri Object. vltimâ. reſpondendo dicit dato quod relationes in diuinis ſint reales, quod nondum conſtat Theologis.

(e) Ex hac doctrina ſequitur peccatorem fieri hæreticum namque amittit per peccatum mortale fidem, & ſpem quod eſt contra canonem 28. ſeſſ. 6. Conc. Trid: in quo dicitur, ſi quis dixerit amiſſa per peccatum gratiâ ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem quæ remanet non eſſe veram fidē licet non ſit viua &c. anathema ſit.

(f) Propoſitio 26. inter 90. Deus eſt ens ſtrictè & propriè cogitans. ad quam in præambulo juris reſpondet. non dixit iacet. ſtrictè & propriè adjecit. vix ſine mendacij vi-

 Item

Item in libello manu propriâ ipſius ſcripto ſub littera I. fol. 63. verſo ſic dicit. Aliqui ex noſtris negant Deum eſſe ubique ſecundum ſubſtantiam, quamuis ſit ubique ſecundum operationem, & notitiam.

(g) Item in annotatis ſuper theſes Philoſophiæ vniuerſæ a præfato Priore Antuerpiæ defenſæ 25. & 26. die Auguſti Anno 1666. fol. 13. verſo ſic habet. Animam rationalem eſſe totam in toto, & totam in ſingulis partibus paſſim creditur ſed cum veriſimiliter actionum vegetativarum non ſit principium, & intellectiuas, & ſenſitiuas in ſolo cerebro exerceat, nihil vehementer cogit illam extra cerebrum diffundere, quod perinde appetitus vtriuſque, intellectus, ac ſenſuum ſedes eſt.

(h) Item in libello ſub litterâ I. fol. 70. in fine ut probet definitionem animę ab Ariſtotole aſſignatam ejuſque tripartitam diuiſionem nihil explicare, format hunç diſcurſum per vocem *anima* intelligo ſubſtantiam ſpiritualem cogi-

tantem

tio loquitur accuſator ſeu collector, adycit, aut detrahit, aut malitioſe invertit.

g Contra Conc. viennenſe relatum in ſpem: de ſumma Trinitate in qua dicitur quiſquis deinceps aſſerere, defendere ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit quod anima rationalis ſeu intellectiua non ſit forma corporis humani per ſe, & eſſentialiter tanquã hæreticus ſit cenſendus & contra S. Bern: ſerm: 1. in pſalm: qui habitat ubi ait ſicut anima cũ in toto ſit corpore excellentius tamen, & ſingularius eſt in capite.

(h) Propoſitio

tantem, ſed indifferenter attribuo animam hominibus, & brutis, ergo attribuo brutis animã cogitantẽ, & ſpiritualem, quod eſt error impijſſimus & via ad atheiſmum, aut admitti debet animam brutalem eſſe ſubſtantiam toto cœlo ab animâ rationali diſtinctam, & conſequenter corpoream, quia inter corpus, & Spiritum, non datur ſubſtantia media.

Et circa finem ejuſdem folij dicit. Præſtat cum Sacrâ Scripturâ, dicere quod anima bruti conſiſtat in ſanguine, quam aſſerere aliquid cujus Idea non poteſt formari.

Item fol. 63. verſo dicit. Poteſt in Deo concedi cognitio conjecturalis non excludens altiorem ſcientiam.

Item in dictatis ſuis Theologicis fol. 24. dicit intra limites fidei, nec debet, nec poteſt exiſtentia Dei probari.

Item fol 64. verſo libelli notati ſub litterâ I. ſic habet. Incarnatio non eſt conuerſio nec confuſio. ſed aſſumptio, ſed altera ſubſtantia alteri inſeritur, ut arbor

eius 28. admittere animam in brutis a corpore realiter diſtinctam eſt ſapere atheiſmum ad hanc reſpondet in ſuo præambulo, malevolè & fraudulenter conficta eſt, non adeo ſenſa aliena faſtidio, aut impotens animi ſum ut eum qui brutorum animam a corpore diſtinctam retur tã impiâ cenſurâ perſtrinxero, & tamen perſtringit S. Bern qui ſerm: 5 in cantica expreſſe dicit quatuor ſpirituum genera. nota ſunt nobis pecoris, noſter angelicus, & qui condidit ipſos. idem . Pat. expreſſe ſerm: 80. in cantica diſtinguit ſer-

Digitized by Google

mam ſubſtantialem a materiâ, ecce quam conformis S. Bernardus prinſpijs carthesii.

bor arbori * aut ignis ferro. Vnde Chriſtus dicitur homo Deus , & Deus homo propter communicationem ut aiunt, idiomatum.

(I) Et fol. 80. verſo in dictatis Theologicis ſic ait. Quis

* Egregia cõparatio.

ſuſtineat tam venerabundo myſterio vanas, quas ſubtilis gentilitas finxit de vnione fabulas affingi: verbi gratia, an vnio verbi ſit facta in naturâ, ſit quid creatum &c.

(I) Propoſitio 45. ſcholaſtica doctrina eſt cauſa omnium hæreſum ad quã in præambulo reſpondet non aſſerui propoſitio 46. Thomiſtæ, & Scotiſtæ ſunt peiores Cephâ, & Apolline ad quam in ſuo præambulo reſpondet mira fictio.

(I) Et circa finem folij prædicti ſic inſurgit in ſcholaſticos. Thomiſtæ pro ſuis Authoribus cominus, & eminus dimicant. Schotiſtæ e contra iunctis vmbonibus ſuas tuentur opiniones, ſic Chriſti inconſutilis tunica veritas, & charitas diuiditur, & diſſipatur cum magno noſtræ fidei detrimento, & hæreſeos ſcandalo, & augmento.

(I) fol. 112. verſo de juſtificatione ita loquitur. Qui Theologica myſteria ad lunam perepatetus reuocarunt plurimum hallucinati ſunt circa ideas quas confuſè formarunt de accidentibus..... iſtas facultates ne nudæ, aut otioſæ

ſæ forent ſuperveſtiverunt habitibus varijs, & habitus actionibus, ſeu actionum terminis. Ex harum rerum confuſione tanquam ex equo Troiano milliades quæſtionum prodierunt inter peripateticos, verbi gratiâ de juſtificatione, an ſit motus mentis, an habitus. ? ſi habitus an a Deo infundatur?

(*K*) Vnde fol. 11. libelli notati ſub littera F. cuius titulus eſt, regulæ, & fundamenta tyrones Theologos familiariter dirigentia, ſic ait. Nulla debet Scholaſticorum authoritas admitti, nam ut (ait fol. 17. ejuſdem libelli, ſpeculationes, & opiniones purè ſcholaſticæ, cum ſint fœtus humanæ cogitationis, & reſolutionis nullum habent pondus in Theologiâ quantumnis temporis, & Doctorum, aut authorum multitudinis numerent; . . . . . . nullius ponderis eſt authoritas, quam non genuit infallibilitas.

(*L*) Et fol. 10. libelli citati hanc tradit regulam. Sacra Theologia a duobus tantum principijs petenda eſt, Scripturâ ſcilicet, & traditio

(k) Si nulla debeat ſcholaſticorum authoritas admitti in Theologiâ ſibi ipſi contradicit cum multa paradoxa in Theologiam introducat, & tamen

(L) Tota Theologia in re ipſâ fides eſt ſive de fide ſicque ipſius aſſerta Theologica de fide eſſe debent. Iudicet æquus lector quam ipſi quadret locus Hugonis de S: Victore lib. 3. miſcel. cap 2. poſitus poſt titulum & quî illa connecti poſſint

Digitized by Google

traditione; extra hæc nocet ratio humana.

(M) Et fol. 54. in dictatis Theologis, ſic loquitur. Multi moderni Theologi ponunt in Cœlum os ſuum quo nunquam nec auribus, nec oculis, nec tactu peruenerunt, & ad nos reuertentes enarrant ineffabilia de quidditate luminis gloriæ.

(M) Item in libello exhibito ſub littera 1. fol. 64. ſic habet. Lumen gloriæ vere Dei ſpecies impreſſa ſicut color eſt lumen modificatum ab objecto vibratum in oculum: cum autem Deus ſit intimè præſens omni beato non debet eſſe vehiculum.

Item in dictatis Theologicis fol. 129. ſic ſcribit. Sufficiat ſcire quod ad valorem Sacramenti requiratur miniſter, ejuſque recta intentio, &c.

(N) Item fol. verſo ſic ait. Puto initerabilitatis Sacramentorum non eſſe characteris impreſſionem, ſed Chriſti intentionem.

Inſuper fol. 30. de charactere docet ſequentia. Aliqui prætendunt eſſe qualitatem abſolutam, alij relationem rationis, alij realem, quidam

M) contra Conc Vienne. ſe relatum in Clem: ad noſtrum de hereticis in quâ Clemens 5. ait ſacro approbante Concilio ſectam ipsa (Begardorum & Biguinarum) cum præmiſsis erroribus inter quos 5. eſt hæc propoſitio, anima non indiget lumine gloriæ ipſam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum, damnamus & reprobamus omnino.

(N) contra dicit expreſſè Conc Trid: in ſeſſ: 7. can. 3 de Sacram: in genere ubi dicitur. Si quis dixerit in tribus Sacramentis Baptiſmo ſcilicet confirmatione, &

quidam eo cæcitatis deuenerunt, vt per modum ſtigmatis; aut ſigilli corporei conceperint; ſed nihil horum admittere cogunt aut Scriptura, aut originales Doctores, aut Concilia.

Et paulo inferius. Quis concipiat ſigillum, aut quodvis aliud ſignum rei ſpirituali nullatenus extenſæ poſſe imprimi ſic indelibiliter, ut nec ab igne infernali deleri poſſit? ſimili quidpiam fieri in rebus extenſis ſenſibus patet, infingi autem poſſe rei partium experti mens non attingit. Si de re, quæ eſt per modum loquendi Auctorum multum obſcurata aliquid conueniat dicere, meo judicio, meliori ſaluo potius dicendum eſt characterem eſſe poteſtatem a Deo animæ collatam ad aliquid agendum, & illam conſtituentem in certo ſtatu qualem ſolent Reges ſuis miniſtris conferre, quos certis deputant miniſterijs, V.g. *Præſidentia Scabinatui* &c.

Fol. 133. ibidem ſic docet. Intollerabilis eſt quorumdam error, qui putant aliquem ad Sacerdotium eſſe idoneum qui ad curam animarum eſt incapax.

ordine nō imprimi characterē in animâ hoc eſt ſignum quoddā ſpirituale, & indelebile vnde ea iterari non poſſunt anathema ſit. Idem Conc. ſeſſ. 23. can: 4. ſi quis dixerit per ſacrā ordinationem non imprimi characterem &c. anathema ſit quinimò ex hâc inſigni comparatione videtur character delebilis.

(O) *contradicit apertè cap: 25. S Matthei, in quo dicitur. Ite maledicti in ignem æternum qui paratus eſt diabolo & angelis eius, niſi enim dixerit diabolum habere corpus debet idem, de ipſo, aliiſque malis angelis ſentire.*

Contra caput 9 s. Marci ubi dicitur bonum eſt tibi claudum introire in vitã æternam quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur Deus bone *quã præſumptuoſè homo ille arguit ſeniores, & docet magiſtros quaſi ſolus ſaperet Ieſus inter Doctores, in quo ſapientia habitat omnium Scripturarum, Conciliorũ & Doctorum.*

(O) Item ibidem fol. 143. ſic docet. Quidam Theologi hanc finxerunt diſtinctionem pœnæ in pænam damni, & pænam ſenſus, ſed cum nullum ſenſationis principium in anima ſeparata tam paruuli quam adulti ſit aſſignabile, ſequitur nullam eſſe capacem pœnæ ſenſus, & conſequenter friuolam eſſe diſtinctionem aſſignatam Adjiciunt aliam non magis conceptibilem conjecturam, dum animas illas nec purgatorio, nec inferno contineri allerunt, ſed ſeparato loco reponi, quaſi anima locum occuparet, & locus ipſam torquere poſſet ..... damnatæ animæ ſummus dolor eſt turpitudinis ſuæ conſcientia conſcia, & remorſus, illa ſunt vermis non moriens, ignis urens, lictor torquens etiam in medio aere imò in medio paradiſi.

Item Ibidem & fol. 144. ſic habet. ſuadendum eſt omni modo fortiori, quo poteſt fieri ut concepto jam fætu abſtineant ab vxore mariti donec naſcatur.

(P) Propoſitio eius 12. Diua Virgo non eſt immaculatè concepta uti benè docet ſ. Bernardus Ad quam reſpondet in ſuo

(P) fol. 61. libelli notati ſub littera B. de conceptione B. Mariæ Virginis ſic docet, Eſt duplex

opinionis pietas, intrinſeca in veritate fundata, & extrinſeca a zelo laudabili proficiſcens. Hâc diſtinctione explicatur Pontificis ſenſus aſſerentis piam eſſe ſententiam docentem, D. Virginem immaculatè conceptam, vocat ergo Pontifex piam, & Religioſam ſententiam, quod non tam in ipſam opinionem, quam in eorum qui ſic opinantur, animos cadat.

(F) Et fol. ſequenti 62. ſic pergit. Venerari enim Mariam, ejuſque honori amplificando ſtudere pium perſe, & religioſum eſt. Quod ſi quis illo ſtudio in errorem incidat, idem a propoſito laudandus, & errore vituperandus, ſi autem de errore non conſtet, de ſtudio conſtet, nihil habebunt homines quod reprehendant, ſimpliciterque, & humano modo poterunt religioſos appellare, quamuis, Deus ipſos ob errorem incautius admiſſum reprehendet. Hæc quæſtio nec ad Ius naturale, nec ad Legem æternam pertinet, cujus vnius vinculum nullâ probabilitate, nullo errore ſoluitur. Tota quæſtio potius facti quam Iuris.

præambulo Iuris & hæc ſabricatoris figmenta ſunt.

Vox bene à mendacibus collectoribus adiecta eſt Propoſitio 15. nullus debet nec poteſt concionari de laudibus B. Mariæ, aut alterius Sancti ſed de inſtructione chriſtianâ, quā in præambulo refutans dicit reſpondeo mendacium Sed quam falſò quamque temerariè, & contra conſcientiā ex his ſatis patet cum & ipſos diſcipulos conetur decipere & refutando bullā Alex: 7. tanquā non ad omnes directam, & proponendo Bullam Pauli 5. in contrarium ipſam immacula

Decretum celebrandi Feſtum immaculatæ Conceptionis Pontificis prudentiæ eſt, non fidei, etſi euidens poteſt eſſe Pontificis prudentię nōn tamen fidei. Non conuincit cultus ex diuino officio, aut Feſto B. Mariæ Virginis immaculatam Conceptionem, per illam enim ejus juſtificatio intenditur ſiue ante Conceptionem, ſiue poſt facta, nec Bulla Alexandri ſeptimi toti Eccleſię dirigitur, ſed ſolum pro Hiſpanorum zelo ad Regis inſtantiam.

(P) Item in libello ſuo regulárum pro tyronibus Theologis notato ſub littera F. fol. 213. ſic docet. Per caput graue nimis &c. Lib. 3. de Reliqijs Sanctorum excommunicantur qui concionantur tam verum eſſe Beatam Virginem eſſe immaculatè Conceptam ut aſſerant hæreticos, aut mortaliter peccare qui ſuſtinent contrarium. Ea excōmunicatio; incurritur ipſo facto ſine nouâ declaratione imò Paulus 5. vult ut qui ſic auſus fuerit concionari, præter excommunicationem ſit ipſo facto ſuſpenſus, a prędicatione verbi Dei, & qui ex aliquâ cathe-

tam conceptionē a propoſito impuget, ac ipſos Concionatores ab illius prædicatione auertat; vnde verſipellis eius nequitia manifeſtatur & peruerſus animus diminuendi laudes ac honorem Beatiſſimæ ac nunquam ſatis laudatæ Virginis Dei Genitricis Mariæ detegitur quæ teſte S. Ignatio martyres in viuis exiſtens ita in omnibus fuit ſpeculū virtutis & portentum ſanctitatis ut vndique fideles eam videndi cauſâ cō fluerent. Hoc hauſit ex lecturâ nimiâ doctrinæ Caluini, Luteri, & Eraſmi maxime

cathedrâ ſic alteram partem docuerit ut dixerit erroneam contrariam eſſe, eſt ſimiliter excommunicatus, & ab officio profeſſionis expellendus. cumque ſit inutile ad forman dos mores, nec dependeat ab illo certamine noſtra ſalus, monendi ſuut Prædicatores ut ab oceano laudum B Mariæ non recedant ad incertas aſſertiones, honor enim Reginæ judicium diligit, indiſcretumque zelum deſpicit.

in colloquio ad Glaucum Plutum qui (ut ipſe modò) ſæcule præcedenti conati ſunt cultum B. Mariæ Virginis acſan ctorũ abrogare, ſub prætextu derogationis Maieſtatis, memoriæ, ac cultus Domini noſtri Ieſu Chriſti.

(P) Item fol, 3. in dictatis Thologicis ſic ait, admonendi ſunt Concionatores ut abſtineant a prædicatione immaculatæ Conceptionis.

Item in dictatis ſuis Theologicis fol. 162. ſic dicit. magnam anſam tergiuerſandi præbent hæreticis aliqui Scholaſtici dum ſecundum Leges Philoſophiæ voces Ariſtotelis mutatio, converſio, tranſſubſtantiatio explicare conantur; non minus mouentur per accidentia, dum contendunt Scholaſtici poſt conſecrationem remanere ſine ſubjecto, circa quorum explicationem, quia non ſatis conueniunt, arma hæreticis contradicendi, & fidem no-

Digitized by Google

ſtram explodendi miniſtrant.

Ex ibidem fol. 164. Sit ergo regula generalis, quod in hoc Sacramento nihil aſſeratur, niſi quod eſt euidenter reuelatum, ſiue euidenter ex reuelatione deductum.

Item in libello exhibito ſub litterâ I. fol. 6. ſic habet. Sufficit quod mens cognoſcat eſſe verum quod in Euchariſtiâ ſit Corpus Chriſti, & videat veritatem in obſcuritate latentem, quæ modum velet, & ſolum repreſentet veritatem Myſterij.

(Q). Vnde & dicit in epiſtolâ manu ſuâ ſcriptâ, & exhibitâ ſub litterâ D. ſequentia. Proinde explicatio accidentium poſt Conſecrationem remanentium non eſt fidei negotium, ſed Philoſophiæ naturalis merum commentum, & pura controuerſia a Phyſicâ, aut Logicâ excogitata, ad Sacramenti explicationem a Scholaſticis tranſlata, quam nec Eccleſiam, nec Concilia lego definiuiſſe; ipſa tantum fidei, gloriæ Dei, & noſtræ ſaluti eſt intenta.

(Q) Et paulò inferius non ſumus

Digitized by Google

mus ſolliciti quemadmodum veſter amicus eſſe videtur quid Concilijs reſpondeamus cum nullum ſit, quod aliquid definiat circa accidentia quidquid poſſunt prætendere de fide accidentium Theologi, eſt quod remaneant poſt Conſecrationem, hoc tamen eſſe de ſide non ſufficienter demonſtrant nec ex Concilijs, nec ex Sacris Scripturis, nec ex Patribus.

(Q) Rurſus in libello notato ſub littera I. fol. 65. verſo ſic ſcribit. Conuerſio Panis in Corpus Chriſti plurimam excitat litem inter Theologos ſatis inutilem ſi ſpectentur leges propriè dictæ conuerſionis in hoc myſterio transferendæ: non conueniunt quænam leges ad veram proprièque dictam converſionem intrinſecè requirantur, & licet conuenirent, non tamen poſſent aſſignare illam quippiam commune habere cum tranſſubſtantiatione, &c.

(R) In libello aſſignato ſub litterâ C. fol. 3. de accidentibus in Euchariſtiâ ita loquitur. Accidentia non ſunt realiter a ſubjecto ſepa-

(q) *Secundâ propoſitio* Ioannis VVycleff *condemnata in Conc: Conſtantienſi ſic habet. Accidentia panis non manent ſine ſubiecto in Sacramento altaris.*

Apertiſſimè contradicit doctrinæ Sãcti Thomæ Aquinatis *de quâ præcipuè intelligi debet illud Chriſti:* benè ſcripſiſti de me Thoma

(q) *Hæc repugnant cap: 4. & can: 2. Seſſ: 13. Conc: Trid: ubi dicitur hanc conuerſionem Panis & Vini in Corpus & Sanguinem Chriſti aptiſſimè, conuenienter, & propriè tranſſubſtantiationem eſſe appellatam.*

rabilia, nec ideò ſenſus decipiuntur.

Item paulò inferius ſic ait. Hinc non poteſt in ſenſu colligi deceptio ex eo quod dico ſpeciem impreſſam, ſeu actionem, quæ in Euchariſtiâ oculum ſub ratione albedinis afficit, eſſe effectiuè non ab albedine quâdam ex pane ſuperſtitè, ſed a Chriſto.

In 2. verò epiſtolâ libelli ſupra notati ſub litterâ A 3. fol. 2. verſo de extenſione Corporis Chriſti in venerabili ita ſcribit. Multa preterea aliqui de extenſione Corporis Chriſti ſub ſpeciebus mouent, ſed ſuperfluè, quia ut illud Myſterium concipiatur, non eſt neceſſe ipſum imaginatione comprehendere v. g. Corporis extenſionem, penetrationem, replicationem &c.

Et paulò infra dum concipio, & dico quod Euchariſtia ſit Corpus Chriſti. Non eſt neceſſe ad hujus ideæ veritatem concipere Corpus Chriſti contractum ad punctum, vel in pluribus locis exiſtens.

Et in libello notato B. 2 fol. 17. verſo ſic dicit. Quia Conc: Trid:

Trid: dixit Chriſtum ibi eſſe eâ exiſtendi ratione quam verbis exprimere non poſſumus, ſi homines magis eſſent aſſueti noſtrę rationi philoſophandi, poſſet exprimi aliquis modus myſterij huius explicandi, qui religionis noſtræ adverſarijs os occluderet, nec ullum relinqueret contradicendi locum.

Item in libello ſub litterâ A. 2. fol. 21. ſic ait. nouitates in Philoſophiâ reſpuuntur a Theologis quod timeant ne aliquid nouitatis inuehatur in Theologiam, nihil eſt ex hâc parte metuendum, ſiquidem opiniones quæ in Phyſicâ ex rerum naturalium conſideratione viſæ ſunt mihi veriſſimę omnium etiam optimè cum religionis noſtræ myſterijs conſentiant.

Et fol. 20. nihil eſt inquit in Philoſophiâ noſtrâ quod non credam eſſe vel lumine naturali notiſſimum, vel accuratè demonſtratum, auſimque polliceri me id oſtenſurum ijs, qui illam meditari volunt, & poterunt.

Et in libello notato ſub B. 2. fol. 22. ſic habet. exiſtimo officij

eſſe ipſorum omnium, quibus Deus rationis vſum largitus eſt, ut illâ ad ipſum, ſeque ipſos cognoſcendos potiſſimùm utantur, atque hinc ſtudiorum meorum principium facere ſum conatus, neque unquam Phyſices fundamentis inueniendis par fuiſſem, niſi hâc viâ illa inueſtigaſſem: verum huic materiæ ſtudui, mihique Deo gratias, utcumque ſatisfeci, ſaltem puto me inueniſſe rationem quâ veritates Metaphyſicæ demonſtrari poſſunt euidentius, quam propoſitiones quę vis Geometricæ. Hoc quidem ſecundum meam ſententiam dico, nam neſcio utrum id alijs perſuadere potero.

Item in libello notato B. 3. ſic ait. Quicumque nullum vnquam judicium ferunt niſi de rebus, quas clarè, & diſtinctè percipiunt, quod quantum eſt in me ſemper obſeruò non poſſunt vno tempore aliter, quam alio de eâdem re judicare.

(R) Item fol. 172. verſo in dictatis ſuis Theologicis ſic docet. Ut veram obtineamus contritionem, multis precibus, & gemitibus peten-

R) hîc verificatur propoſitio 72. que ſic habet. Nemo cō vertitur interius niſi longo tempore egerit pænitentiam *quinimô contra mentem in ſuo præambulo reſpondendo firmat illius vniuerſalitatem quam dicit fa-*

petenda eſt; non enim eſt opus naturæ, aut carnis, ſed gratiæ.

(R) Item fol. 206. verſo ſequitur: propterea Pænitentiam ſolebant vocare laborioſum Baptiſmum, per eum enim non peruenitur ad juſtificationem, & nouitatem vitæ niſi magnis fletibus, & laboribus, qui non niſi diuturno tempore poſſunt abſolui.

(S) Rurſus fol. 180. ibidem. Modicum, aut nihil proſunt confeſſiones generales. metuendum eſt, ne potiùs fiant ut appareamus hominibus pænitentes, vel ad falſam, & imaginariam ſecuritatem, quam ad innocentiæ, & pacis ſtatum recuperandum . . . . . . vndè Confeſſarius ſollicitus magis eſſe debet de dolore, & emendatione, quam de exactâ recitatione, & deſignatione ſingulorum peccatorum: non enim poteſt fieri, ut verè contritus malam faciat confeſſionem recitationis debitæ peccatorum defectu . . . . . . non tam pietatis, quam impietatis eſt argumentum frequens confeſſio . . . . . hæc mihi nunquam placuit vulgaris conſequentia. Sæpius confitetur, ergo pius

bricatorem ex ſuo cerebro eidē affricaſſe ſic ait Non ita in Evāgeliis peregrinus ſum ut neſciam mulierē illā peccatricem Zachæum, & Matthæum, & plures alios, & demùm in cruce latronē modico tempore ad ſinceræ converſionis faſtigium euaſiſſe, verùm ut illa non exemplis ſed miraculis accenſit S. Bernardus, ſic ab animarum directoribus pro normâ aſſumenda non ſunt, &c. *Vnde non fabricator ut ait ſed ipſe poſuit vniverſalem propoſitionem, cum exceptio firmet regulam etiam verè*

eſt; ſed contraria : ſæpius confitetur ergò ſæpius peccat ...... ne fortè quiſpiam benigniorum Confeſſariorum me deſtruere pænitentiæ Sacramentum arguat : ille non cenſetur benè confiteri, niſi qui ex animo iraſcitur peccato ſuo, illiusque malitiam plenè exponit plorando, ſui ipſius amorem execrando, Dei miſericordiam implorando, donec affectum peccati radicitùs deletum ſenſerit, tranquillitatem aliquam, ac alacritatem condonati criminis argumentum experiatur. Hæc de peccato mortali intelligenda ſunt.

Idem fol. 187. ibidem de differendâ abſolutione ſic habet. His rationibus Sanctorum Patrum conſideratis. ad quæſtionem reſpondeo, & dico ſæpiſſimè conuenire ut ſatisfactio abſolutionem præcedat : utilitates illius ſatis probant eſſe neceſſarium ut id fiat. non juvat dicere modò alium in Eccleſiâ uſum inualuiſſe, nam ſicuti in ſpeculatiuis ſic & moralibus valet traditio; eadem eſt moderna, quæ primitiua fuit Eccleſia. Sit rigor paulo

ficatur propoſitio 74 Spiritus Sanctus eſt difficilis inuoccantibus ſe quam in præambulo dicit eſſe commentum.

(S) Hic confirmatur veritas propoſitionis ipſius 76. Non debemus diſtinguere inter mortalia, & venialia: ſed ſufficit ſcire eſſe mala ſiue peccata. *& reſponſio in præambulo falſa oſtēditur in quo ait ad eamdem.* Vah quam me tœdet hoc augiæ ſtabulũ euerrere. En quâ virulētiâ malignus compilator omnia viciat *& adfert præterea lo*[c]*um S. Paulini* an poſſumus leue

paulò fortè propter languorem modernorum Chriſtianorum apud quos refriguit charitas remittendus, non tamen totaliter eſt dimittendus.

(T) Item fol. 205. verſo ſic pergit. Petes cum in vſu vniuerſalis Eccleſiæ non ſit pænitentiæ publicæ impoſitio, an non eſſet arguendus ſingularitatis, qui illam modò injungeret? R. non eſt ſemper attendendum an inſtituta ab Eccleſiâ, ſtabilita vniuerſaliter in uſum reducantur, ſed quæ fuerit ratio omittendi, & negligendi eorum praxim.

(V) Item in epiſtolâ exhibitâ ſub D. ſic habet. A tempore Abillardi Philoſophia cæpit fædare noſtram Theologiam.

Item in libello ſuo notato ſub litterâ B fol. 63. ſic ſcribit. Confeſſarij peccata non ex ignorantiâ ſed ex lege Dei metiri debent.

Et fol. 75. non eſt impunitatis ſecuritas in neceſſitate peccandi.

(X) *Adiuncta hic Copia epiſtolæ ſub litterâ A, 1.*

Clariſſime Domine ..... veſtræ erudi-

aliquod peccatum dicere quod in Dei contemptum admittitur, *deinde expreſſè contradicit cap. 5. & varijs canonibus Seſſ 6. Conc. Trid: ubi mãdatur exacta peccatorum confeſſio, & exponitur Sacramentum pænitentiæ vilipendentiæ, & contemptui dum tam ſcandaloſa docet ſibimet ipſi timens, prætereà ex his verbis* non tam pietatisquam impietatis argumẽtum eſt frequens confeſſio *verificatur propoſitio* 73. Sacramentũ pænitentiæ non deberet niſi raró adminiſtrari ad evitanda ſacrilegia *ad quã reſpondens in præã*

Digitized by Google

eruditione plenæ meum delectarunt animum, ipſum vacillantem contra oblatrantes pedaniſtas conſolidauerunt. Quidquid illi non didicerunt, blaſphemant, ac diris execrantur calumnijs. Nullibi tutò ſtat veritas, imò ipſa innocentia maledictis transfoditur. Carthesium cujus nec corticem librorum unquam viderunt, atheiſmi inſimulant, licet nullus Philoſophorum aut Theologorum validius, & clarius Dei & animæ rationalis demonſtret exiſtentiam. Nullâ aliâ ratione id faciunt quam quod diſformia eorum Authoribus doceat. Mihi vnicus Author eſt in Philoſophicis *clara ratio* in Theologicis *certa reuelatio*. Non hæreo in fidelitate, vel infidelitate Authorum, aut qualitatibus perſonarum. Proprio non alieno Philoſophor oculo, Authores cito non ut authoritatis oracula, ſed rationis lumina. Congratulor Dominationi tuæ quod in ſolida ſcientiarum inciderit principia. Id paucis hujus ſæculi contingit. Noſtras Theſes quam ultimò obtuli nunc mitto

non

bulo negat. dicens ſi vasimpurum eſt quod cũque infundis acceſſit? ita malignus fabricator quidquid excepit doctrinæ ſanioris affingengendo ait detrahendo, aut peruertendo intoxicauit.

Etiam verificator propoſitio 75. ut quis ritè abſoluatur debet eſſe certus de conuerſione interiore ex charitate prædominante.

Hanc admittit in ſuo præambulo niſi texat (ait fabricator fallacias in voce certus, *atquam malè colligat lector certe nil niſi Caluminis hic, & hanc 7. ex dam*

non ut earum lectione diſtrahatur, ſed ut amatori alicui veritatis committat examinandas, & corrigendas. Conatus ſum Carthesij principia S. S. P. P. maximè Auguſtini, & Bernardi dictis confirmare, *aut enim Carthesius Auguſtiniſauit, aut Auguſtinus Carthesianiſauit. Nomen Carthesii taceo quia odioſum*, quidni? cum diſpliceat Thomiſtis, Scotiſtis, Moliniſtis, & Bonæſpejiſtis. Mirum eos, qui victu cultùque ſimplicitatem Apoſtolorum profitentur, amplecti doctrinam minimè ſimplicem, ſed argutiis ſuperuacaneis, nouis ſomnijs ſpineſiſſimam, terminorum formalitatibus confuſiſſimam contra Apoſtoli edictum, qui mandat Doctoribus in Thimotheo, & *Tito vitare ſtultas, & ſine diſciplinâ quæſtiones profanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ* .... in hoc præcipuâ Eccleſiæ rei-publicæ ſpes ſi prima ætas ſolidis rationibus ad judicandum, & Philoſophandum inſtituatur.

Et circa finem ſuggeſſi, & ſuaſi R. Domino noſtro Vicario (Abbati

natis VVycleſſy ubi dicit Si homo fuerit debitè contritus omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua & inutilis, *& contradicit Conc: Trid: in Seſſ. 6. can. 13. & 14. cum requirere videatur fiduciâ & certitudinem in condonati criminis argumentum quod ſub anathemate ibi reprobatur.*

(*T*) *Contra caput 2 Seſſ 21. Conc. Trid ubi dicitur. præterea declarat hanc poteſtatẽ perpetuò in Eccleſiâ fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione ſaluâ illorum ſubſtantiâ ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientiũ*

lando nimis fermè perijt in tantum de fide quam ſimpliciter cõueniebat admittere, diſputarunt ut ferè, totam diſſipauerint ſic ut vix filius hominis fidem intactam, ſi veniret, inueniret.

(Y) Et fol. 2. ejuſdem libelli circa finem dicit, nec quęri debet intelligentia myſteriorum Dei in obſcuris noſtrorum conceptuum &c.

(Y) Et fol. verſo ſic ait. Studium modernum tum Theologicum, tum Philoſophicum eſt ſtudium earum controuerſiarum, quibus nulla vndique veritas cernitur, ſed docta ignorantia, & ex docta ignorantiâ ſuperbia promouetur. Et in 2. epiſtolâ ejuſdem libelli dicit tales valde ſeriò, & ſubtiliter delirare.

Z) Item in quadam epiſtolâ originali a ſe ſubſignatâ ſub A. 2. ſcribit ſequentia. iraſcor rumori falſo. ferunt in Hiſpaniâ datum decretum inhabilitans omnes Janſeniſtas ad quoduis officium vel beneficium, tum ciuile, tum Eccleſiaſticum. Quis dignoſcet? nec Jupiter ipſe reor ſi terras incoleret. fortè eit qui illos in ſpatiis imaginatijs

dicit non dixi ut iacet

(Y) *Hic quod ipſe docet ſol 21 aliis imponit ita ut de ipſo verè dici poſſit medice cura te ipsũ & ipſe ſibi cõtra dicit. vide ſol: 2 ubi dicit.* Si homines eſſent aſſueti noſtræ rationi philoſophandi, poſſet exprimi aliquis modus myſterij hujusnépe Eucharistiæ *quod* eſt occultiſſimũ explicandi.

(Y) *Videt feſtucam in oculo fratris ſui, & trabem in ſuo non videt indoctè ſapiens.*

(Z) *Ex his liquet, quomodò nan ſolum ſibi pares; non etiã ſolummodò ordines mendi-*

cantes, aut Theologiæ Professores aut Doctores, ſed & ipſos primarios Regis Miniſtros, ac ſummum ipſum Pontificem ac Eccleſiam in generali Concilio congregatam, corrigere, cenſurare, ac calumniari non vereatur. quin imó Sancti immunes ſunt ab eius cenſurâ

ginarijs ſuæ phantaſiæ creabit. ſic tenebriones diligunt confuſiones ut veritatem, & pietatem e medio tollant.

Z) Et epiſtolâ H. 1. dicit ſequentia Vereor ne quemadmodum ſiniſtræ mentis ſunt D. D. de Vicariatu, ſiniſtrum dederint Sanctiori Conſilio aduiſamentum. D. D. Aduocati Gandenſes inuenerunt conſultum ut me a dicto Conſilio eximam tanquam incompetenti Iudice utique jam a meo legitimo Iudice Domino Vicario euocatus &c.

Z) Et ibidem ad Vicarium Generalem ſic ſcribit. R. Domine ex reſponſione D. D de Vicariatu Gandenſi videntur Domini Conſilij priuati velle me ſuo Tribunali ſiſtere. ne id detrimenti Priuilegijs noſtri Ordinis inurant, neceſſe erit ut quā primum me citet coram ſe tanquam legitimo Iudice, & hoc vehementiſſimo ſtylo.

In aliâ epiſtolâ ſub H. 2. ſic habet. Clariſſime Domine occaſione fratris veſtri ſcribentis auſus ſum hoc jungere verbum quod me contingi

tingit, & amicum veritatis ...... ſuper re noſtrâ Conſilio ſecretiori ſuum judicium tulit Vicariatus Gandenſis ſat ut audio ſiniſtrum. Non aliud ſpectare potui ab hominibus in altos Spiritus ſenſu ſiniſtræ mentis, & in Patres qui mihi hanc fecerunt prouinciam apprimè acclines. Nonne aliquandò cæcitatem delebit Dominus ab oculis miniſtrorum Regis, ut veritatem ſaltem aliquandò videre valeant. Sic modò Impoſtores in facilitate ipſorum confidunt, ut impoſturæ turpioris decipiendæ impertinentiæ in ſinu eorum aſylũ inueniant. Quid inde ſperandum niſi totius rei-publicæ Eccleſiaſticæ, & Politicæ euerſio. (*Z&A*) Item in libello exhibito ſub litterâ F. fol. 16. inter alia de Conc. Trid. dignè ut putat dicit ſequentia. Deplorandum prorſus Sanctam Synodum non parem habuiſſe curam ſpecificandi traditiones ſicuti libros Sacros denotauit: deputandi forent Doctores antiquitatum periti, qui Conciliorum dicta, & facta, reſolutiones Pontificum, Patrum ſenſa exactiſſimè examinarent

(A) Hic deplorat non parem haberi curã ab Eccleſiâ canoniſationis traditionum quam Sanctorum, quæ tantæ utilitatis non eſt inquit in Eccleſiâ. val de temerariâ cenſura.

rent conferendo de ijs conuenirent & ab Eccleſiâ quæ parem curam pro canoniſatione Sanctorum quæ tantæ utilitatis non eſt in Eccleſiâ, canonizarentur, ad finem puto breuiter inconſtantis, & incertæ Theologiæ perueniremus, primitivæque Eccleſiæ pax, & ſecuritas in quâ erat cor vnum, & anima vna reuerteretur.

(*B*) item in dictatis Theologicis fol. 34. ſic habet. Non benè dicitur Beata Virgo corredemptrix, nec in ipſâ ut tali oportet gloriari, ſed in cruce Domini noſtri, in quo eſt ſalus vita, & reſurrectio noſtra.

Item in epiſtolâ quâdam ſcriptâ manu ipſius propriâ Authori libelli cui titulus *monita Salutaria* exhibiti ſub litterâ D. habentur ſequentia. Optimè, & doctè de veneratione Virginis ſentis, ſed qui ſecundum veſtrum zelum primus id exponere tentabit, non minor erit hæreticus, quam qui præter modum peripateticorum aggreditur accidentia exponere in venerabili Sacramento Euchariſtiæ. Veſtrum ſentire eſt omnium noſtrum (*apparet ex verbis illis ſecta eorum*) nihil in beatâ Virgi-

re

(*B*) *Propoſitio ipſius 7.* diva Virgo non eſt corredemptrix noſtra quia non eſt cooperata noſtræ redemptioni. *Ad hanc in præambulo reſpondit* potui eam aſſeruiſſe hoc ſēſu quod diua Virgo non vna, & compar cum Chriſto coopitulata ſit, ac cum illo ſimul de ſuo contulerit ad noſtram redemptioné, *magnus Apollo in dubiū vocat de quo nullus unquā catholicorum dubitauit ut ſic quærat effugium, nonne hoc ſinit S. Paulus, qui dicit ad gal* 1. adimpleo ea quæ deſūt paſſionum Chriſti? *Non*

ne veneror, aut colo præter gratiam Chriſti, quâ repleta ab Angelo prædicatur. Hoc Spiritu totum corpus Eccleſiæ agitur, & lętificatur, alij alijs perfectius, & imperfectius illi qui perfectius ab illo agitantur, agant Deo gratias, & nos in illis iſtam reuereamur gratiã non autem imbecillitatem quà nobis ſimiles ſunt. Verum eſt multum hoc tempore derogari Majeſtati, memoriæ, & cultui Chriſti per indiſcretum Sanctorum, & imaginum cultum. Veſtras amicis veſtris, & noſtris communicabo, non dubito quin arridebunt Ille idem Author libelli prædicti ſcripſit dicto D. *Richart* prefatum ſe mittere libellum imprimendum, attamen ſe non ultimam manum appoſuiſſe ac propterea illum relinqnere illius, *Domini Buſcum*, ac *Domini Gillemans* diſpoſitioni, ut addant, demant, ac poſteà imprimi jubeant, vnde vehementer ſuſpectus eſt de ejuſdem libelli editione.

ne hoc S. Pater tuus Bern: qui ſerm: ſuper verbis apocalypſis: ſignum magnum apparuit ſic ait, & quidem ſufficere poterat Chriſtus: ſiquidẽ & nunc omnis ſufficiẽtia noſtra ex eo eſt, ſed nobis bonũ non erat eſſe hominẽ ſolũ congruum magis ut adeſſet noſtræ reparationi ſexus uterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet, *nõne impudẽter nimis audes aſſerendo dicere* nec in ipſa ut tali oporteret gloriari, *& conſequenter dicere*, nihil in B. Virgine veneror aut colo præter gratiam Chriſti, *ut ſic imbecillitatem naturæ eius obtrudendo fortè, merita ipſius e medio tollas? an non in illâ Virgine Matre*

innumeræ gratiæ gratis datæ, an non Beata ipſius viſcera, nonne Beata eius Vbera veneratur tota Eccleſia, certè cæcutis in plenâ die dum te clara, & diſtincta cognitio tua obnubilat multa de ſe ſtolidè, & temerarè præſumentem. apertiſſime conſtat te velle a profeſſo detrahere pÿſſimæ Virginis Matris honori, ac Parentem tuum non ſolum ſed & Patrem Eccleſiæ, arguere docere magiſtrum dum ſenſum Sanctiſſimi Patris tui Bernardi nimium contorques per tuam propoſitionem 24. quæ ſic habet (quando S. Bernardus dicit qui totum nos habere voluit per Mariam, *tantum intelligit de Chriſto, hoc ſenſu* totum Chriſtum nos habere voluit per Mariam) *quam in præambulo tuo non diffiteris quamuis dicas denuò redolere imperitiam compilatoris, quin imò Sanctiſſimo tuo Patri illudis dum tuâ propriâ authoritate ſenſum ipſi omninò contrarium affingis ut minuas Virginis authoritatem, non enim per totum* ipſum Chriſtum *qui nobis eſt omnia intelligit S. Pater ut patet ex ſerm: de Natiuitate B. Mariæ de aquæ ductu, ubi per enumerationem partium totum explanans dicit.* Si quid ſpei in nobis eſt, ſi qnid gratiæ ſi quid ſalutis ab eâ nouerimus redundare &c. *ac tandem concludens dicit* ſic eſt voluntas ejus qui totum nos habere voluit per Mariam, in omnibus ſiquidem, & per omnia prouidens miſeris, trepidationem noſtram ſolatur fidem excitat, ſpem roborat, diffidentiam abigit, erigit puſillanimitatem, *quod in Serm. 4. de Aſſumptione confirmans exclamat.* Sileat miſericordiam tuam Virgo Bea-

ta ſi quis eſt, qui inuocatam te, in neceſſitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe . . . . . hæc eſt enim quę totius mundi reparationem obtinuit, ſalutem omnium impetrauit. *Ex quibus ſatis claré inſertur veritas propoſitionis* 21. S. Bernardus de B. Mariâ magis affectu quam veritate ſcripſit, *& falſitas. reſponſionis in eius praambulo juris, in quo dicit* nunquam in animum meum tam fæda aduerſus parentem meum cenſura illapſa eſt. *Similiter etiam probatur veritas propoſitionum* 4., *&* 5. Idolum ſapit dictum iſtud famoſum ad majorem Dei, Deiparæque, Virginis gloriam Id ipſum ſi uſquam admiſerit S. Bernard:, errauit, *ad quas reſpondet in praambulo ſuo* luridæ impoſturę ſunt, & malignantium fætus. *Mirum eſt hominem illius ordinis, qui in honorem, & ſub patricinio Beatiſſima Virginis Maria erectus eſt, ita eiuſdem cultui detrahere ut blaſphemo ore quaſi clocâ conuitiorum plenis amphoris in pijſſimam Matrem effuſâ auſus fuerit euomere ſeqnentes* 4. *propoſitiones* 8. *propoſitio ſic habet.* diua Virgo non eſt Mater Dei ſimpliciter ſic loquendo : *ad quam reſpondet in ſuo praambulo juris.* Vah impudentem calumniam *adſerens pro ſe rationes quibus ipſe, dum eandem in menſâ publicâ* 2. *Aprilis anno* 1676. *ſuſtinere vellet, conuictus, obmuteſtere coactus fuit, qui ante gloriabatur in malitia, & per doloſam linguam, variaſque ſutelas ut vulpes parvulas vineas, id eſt juniores animas Fratrum ac Nouitiorum venenoſá illá*

 doctrinâ

non ut earum lectione diſtrahatur, ſed ut amatori alicui veritatis committat examinandas, & corrigendas. Conatus ſum Cartheſij principia S. S. P. P. maximè Auguſtini, & Bernardi dictis confirmare, *aut enim Cartheſius Auguſtiniſauit, aut Auguſtinus Cartheſianiſauit. Nomen Cartheſii taceo quia odioſum*, quidni? cum diſpliceat Thomiſtis, Scotiſtis, Moliniſtis, & Bonæſpejiſtis. Mirum eos, qui victu cultùque ſimplicitatem Apoſtolorum profitentur, amplecti doctrinam minimè ſimplicem, ſed argutiis ſuperuacaneis, nouis ſomnijs ſpineſiſſimam, terminorum formalitatibus confuſiſſimam contra Apoſtoli edictum, qui mandat Doctoribus in Thimotheo, & Tito *vitare ſtultas, & ſine diſciplinâ quæſtiones profanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ* . . . . . in hoc præcipuâ Eccleſiæ rei-publicæ ſpes ſi prima ætas ſolidis rationibus ad judicandum, & Philoſophandum inſtituatur.

Et circa finem ſuggeſſi, & ſuaſi R. Domino noſtro Vicario (Abbati

natis VVycleffy ubi dixit Si homo fuerit debitè contritus omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua & inutilis, *& contradicit Conc: Trid: in Seſſ. 6. can.* 13. *&* 14. *cum requirere videatur fiduciâ & certitudinem in condonati criminis argumentum quod ſub anathemate ibi reprobatur.*

(*T*) *Contra caput 2 Seſſ* 21. *Conc. Trid ubi dicitur. præterea declarat hanc poteſtatē perpetuò in Eccleſiâ fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione ſaluâ illorum ſubſtantiâ ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientiū*

lando nimis fermè perijt in tantum de fide quam ſimpliciter cōueniebat admittere, diſputarunt ut ferè, totam diſſipauerint ſic ut vix filius hominis fidem intactam, ſi veniret, inueniret.

(Y) Et fol. 2. ejuſdem libelli circa finem dicit, nec quęri debet intelligentia myſteriorum Dei in obſcuris noſtrorum conceptuum &c.

(Y) Et fol. verſo ſic ait. Studium modernum tum Theologicum, tum Philoſophicum eſt ſtudium earum controuerſiarum, quibus nulla vndique veritas cernitur, ſed docta ignorantia, & ex docta ignorantiâ ſuperbia promouetur. Et in 2. epiſtolâ ejuſdem libelli dicit tales valde ſeriò, & ſubtiliter delirare.

Z) Item in quadam epiſtolâ originali a ſe ſubſignatâ ſub A. 2. ſcribit ſequentia. iraſcor rumori falſo. ferunt in Hiſpaniâ datum decretum inhabilitans omnes Janſeniſtas ad quoduis officium vel beneficium, tum ciuile, tum Eccleſiaſticum. Quis dignoſcet ? nec Jupiter ipſe reor ſi terras incoleret. fortè eſt qui illos in ſpatiis imaginatijs

dicit non dixi ut iacet

(Y) *Hic quod ipſe docet fol 21 aliis imponit ita ut de ipſo verè dici poſſit medice cura te ipsū & ipſe ſibi cōtra dicit, vide fol: 2 ubi dicit.* Si homines eſſent aſſueti noſtræ rationi philoſophandi, poſſet exprimi aliquis modus myſterij hujusnépe Euchariſtæ *quod* eſt occultiſſimū explicandi.

(Y) *Videt feſtucam in oculo fratris ſui, & trabem in ſuo non videt indoctè ſapiens.*

(Z) *Ex his liquet, quomodò non ſolum ſibi pares; non etiā ſolummodò ordines mendi-*

ginarijs ſuæ phantaſiæ creabit. ſic tenebriones diligunt confuſiones ut veritatem , & pietatem e medio tollant.

Z) Et epiſtolâ H. 1. dicit ſequentia Vereor ne quemadmodum ſiniſtræ mentis ſunt D. D. de Vicariatu, ſiniſtrum dederint Sanctiori Conſilio aduiſamentum. D.D. Aduocati Gandenſes inuenerunt conſultum ut me a dicto Conſilio eximam tanquam incompetenti Iudice utique jam a meo legitimo Iudice Domino Vicario euocatus &c.

cantes, aut Theologiæ Profeſſores aut Doctores, ſed & ipſos primarios Regis Miniſtros, ac ſummum ipſum Pontificem ac Eccleſiam in generali Concilio congregatam, corrigere, cenſurare, ac calumniari non vereatur. quin imó Sancti immunes ſunt ab eius cenſurâ

Z) Et ibidem ad Vicarium Generalem ſic ſcribit. R. Domine ex reſponſione D. D de Vicariatu Gandenſi videntur Domini Conſilij priuati velle me ſuo Tribunali ſiſtere. ne id detrimenti Priuilegijs noſtri Ordinis inurant , neceſſe erit ut quã primum me citet coram ſe tanquam legitimo Iudice, & hoc vehementiſſimo ſtylo.

In aliâ epiſtolâ ſub H. 2. ſic habet Clariſſime Domine occaſione fratris veſtri ſcribentis auſus ſum hoc jungere verbum quod me contingi

tingit, & amicum veritatis . . . . . ſuper re noſtrâ Conſilio ſecretiori ſuum judicium tulit Vicariatus Gandenſis ſat ut audio ſiniſtrum. Non aliud ſpectare potui ab hominibus in altos Spiritus ſenſu ſiniſtræ mentis, & in Patres qui mihi hanc fecerunt prouinciam apprimè acclines. Nonne aliquandò cæcitatem delebit Dominus ab oculis miniſtrorum Regis, ut veritatem ſaltem aliquandò videre valeant. Sic modò Impoſtores in facilitate ipſorum confidunt, ut impoſturæ turpioris decipiendæ impertinentiæ in ſinu eorum aſylũ inueniant. Quid inde ſperandum niſi totius rei-publicæ Eccleſiaſticæ, & Politicæ euerſio. (Z&A) Item in libello exhibito ſub litterâ F. fol. 16. inter alia de Conc. Trid. dignè ut putat dicit ſequentia. Deplorandum prorſus Sanctam Synodum non parem habuiſſe curam ſpecificandi traditiones ſicuti libros Sacros denotauit: deputandi forent Doctores antiquitatum periti, qui Conciliorum dicta, & facta, reſolutiones Pontificum, Patrum ſenſa exactiſſimè examinarent

(A) Hic deplorat non parem haberi curã ab Eccleſiâ canoniſationis traditionum quam Sanctorum, quæ tantæ utilitatis non eſt inquit in Eccleſiâ. val de temerariâ cenſura.

rent

rent conferendo de ijs conuenirent & ab Eccleſiâ quæ parem curam pro canoniſatione Sanctorum quæ tantæ utilitatis non eſt in Eccleſiâ, canonizarentur, ad finem puto breuiter inconſtantis, & incertæ Theologiæ peruenìremus, primitivæque Eccleſiæ pax, & ſecuritas in quâ erat cor vnum, & anima vna reuerteretur.

(B) item in dictatis Theologicis fol. 34. ſic habet. Non benè dicitur Beata Virgo corredemptrix, nec in ipſâ ut tali oportet gloriari, ſed in cruce Domini noſtri, in quo eſt ſalus vita, & reſurrectio noſtra.

Item in epiſtolâ quâdam ſcriptâ manu ipſius propriâ Authori libelli cui titulus *monita Salutaria* exhibiti ſub litterâ D. habentur ſequentia. Optimè, & doctè de veneratione Virginis ſentis, ſed qui ſecundum veſtrum zelum primus id exponere tentabit, non minor erit hæreticus, quam qui præter modum peripateticorum aggreditur accidentia exponere in venerabili Sacramento Euchariſtiæ. Veſtrum ſentire eſt omnium noſtrum(*apparet ex verbis illis ſecta eorum*) nihil in beatâ Virgire

(*B*) *Propoſitio ipſius* 7. diva Virgo non eſt corredemptrix noſtra quia non eſt cooperata noſtræ redemptioni. *Ad hanc in præambulo reſpondet* potui eam aſſeruiſſe hoc ſẽſu quod diua Virgo non vna & compar cum Chriſto coopitulata ſit, ac cum illo ſimul de ſuo contulerit ad noſtram redemptioné, *magnus Apollo in dubiũ vocat de quo nullus unquã catholicorum dubitauit ut ſic quærat effugium, nonne hoc ſenſit S. Paulus, qui dicit ad gal* 1. adimpleo ea quæ deſũt paſſionum Chriſti? *Non*

ne veneror, aut colo præter gratiam Chriſti, quâ repleta ab Angelo prædicatur. Hoc Spiritu totum corpus Eccleſiæ agitur, & lętificatur, alij alijs perfectius, & imperfectius illi qui perfectius ab illo agitantur, agant Deo gratias, & nos in illis iſtam reuereamur gratiã non autem imbecillitatem quà nobis ſimiles ſunt. Verum eſt multum hoc tempore derogari Majeſtati, memoriæ, & cultui Chriſti per indiſcretum Sanctorum, & imaginum cultum. Veſtras amicis veſtris, & noſtris communicabo, non dubito quin arridebunt Ille idem Author libelli prædicti ſcripſit dicto D. *Richart* prefatum ſe mittere libellum imprimendum, attamen ſe non ultimam manum appoſuiſſe ac proptereà illum relinqnere illius, *Domini Buſcum*, ac *Domini Gillemans* diſpoſitioni, ut addant, demant, ac poſteà imprimi jubeant, vnde vehementer ſuſpectus eſt de ejuſdem libelli editione.

ne hoc S. Pater tuus Bern: quî ſerm: ſuper verbis apocalypſis: ſignum magnum apparuit ſic ait, & quidem ſufficere poterat Chriſtus: ſiquidẽ & nunc omnis ſufficiẽtia noſtra ex eo eſt, ſed nobis bonũ non erat eſſe hominẽ ſolũ congruum magis ut adeſſet noſtræ reparationi ſexus uterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet, *nõne impudẽter nimis audes aſſerendo dicere* nec in ipſa ut tali oportet gloriari, *& conſequenter dicere*, nihil in B. Virgine veneror aut colo præter gratiam Chriſti, *ut ſic imbecillitatem natura eius obtrudendo fortè, merita ipſius e medio tollas? an non in illâ Virgine Matre*

innu

ta ſi quis eſt, qui inuocatam te, in neceſſitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe..... hæc eſt enim quę totius mundi reparationem obtinuit, ſalutem omnium impetrauit. *Ex quibus ſatis claré inſertur veritas propoſitionis* 21. S. Bernardus de B. Mariâ magis affectu quam veritate ſcripſit, *& falſitas reſponſionis in eius præambulo juris, in quo dicit* nunquam in animum meum tam fæda aduerſus parentem meum cenſura illapſa eſt. *Similiter etiam probatur veritas propoſitionum* 4., *&* 5. Idolum ſapit dictum iſtud famoſum ad majorem Dei, Deiparæque, Virginis gloriam Id ipſum ſi uſquam admiſerit S. Bernard:, errauit, *ad quas reſpondet in præambulo ſuo* luridæ impoſturę ſunt, & malignantium fætus. *Mirum eſt hominem illius ordinis, qui in honorem, & ſub patricinio Beatiſſimæ Virginis Mariæ erectus eſt, ita eiuſdem cultui detrahere ut blaſphemo ore quaſi cloacâ conuitiorum plenis amphoris in pijſſimam Matrem effuſâ auſus fuerit euomere ſequentes* 4. *propoſitiones* 8. *propoſitio ſic habet.* diua Virgo non eſt Mater Dei ſimpliciter ſic loquendo : *ad quam reſpondet in ſuo præambulo juris.* Vah impudentem calumniam *adferens pro ſe rationes quibus ipſe, dum eandem in menſâ publicâ* 2. *Aprilis anno* 1676. *ſuſtinere vellet, conuictus, obmuteſtere coactus fuit, qui ante gloriabatur in malitia, & per doloſam linguam, variaſque ſutelas ut vulpes parvulas vineas, id eſt juniores animas Fratrum ac Nouitiorum venenoſá illá*

 doctrinâ

doctrinâ inficere ad demoliri conabatur. 9 *propoſitio.* Diua Virgo eſt Mater Chriſti ſecundum humanitatem, & non ſecundum diuinitatem. 10. *Propoſitio.* Diua Virgo eſt tantum Mater Chriſti atque hoc ſufficit. 11. *Propoſitio.* Diua Virgo nihil eſſentiæ Dei produxit, ergo non eſt Mater Dei, ſiue Chriſti ſecundum diuinitatem. *Ad has tres propoſitiones reſpondet in præambulo ſuo*, nullam uſpiam aſſerui *adſerens iterum in effugium (quod meretur exſibilari) Diuam Virginem nihil de diuinitatis èſſentiâ Chriſto contuliſſe*, in *hoc vacillans prout mos eſt hæreticorum dum ab Eccleſiâ premuntur, ut ſic eius authoritati illudant prout patet ex hiſtoriâ Eccleſiaſticâ de Ario, Euticbete, Pelagio alÿſque hæreticis. De quo nunquam Catbolicos inter, & Hæreticos diſputatum fuit, ſed hoc ſuppoſito uti & conſubſtantialitate filÿ in diuinis quærebatur contra Neſtorium, alioſque tum temporis hæreticos an Diua Virgo Maria dici poſſet Deifera, & non tantum Chriſtifera, ac conſequenter Theotocon poſſemus aſſerere, ſeu Dei Genitricem, uti Eccleſia ſemper tenuerat, prout patet ex continuâ ad id uſque temporis traditione, SS. Ignatio, Irenæo Athanaſio, Petro Diacono, alÿſque Patribus, quorum vltimus ſic ſcribit ad S. Fulgent. De incarnatione & gratiâ Ieſu Chriſti.* Beatam verò Virginem Mariam . . . . propriè, & ſecundum veritatem credimus Theotocon, id eſt Dei Genitricem eo quod peperit verè, & propriè Deum. *& S. Athan: in Euangelio de Sanctiſſimâ Deiparâ ſic ait*
ſanctifi-

Sanctificata igitur ſuperuentu Spiritus Sancti Virgo, & corroborata, & Spiritu Altiſſimi grauida eum geſtabat qui ex ſuâ propriâ eſſentiâ Dei erat Filius pro vnicâ ejus diuinitatis naturâ, gignit eundem incarnatum, & hominem factum ſecundum duarum naturarum proprietatem, eumdemque duplicem, & vnum ex duobus conſtantem, inconfuſè, immutabiliter atque indiuiſim credi oportere ſtatuimus. *Vnde & condemnatus cum ſuis fuit Neſtorius in Conc. Epheſino, & hæc catholica doctrina confirmata, quam acerimè contra præfatum Hæreſiarcham B. Cyrillus, Alexandrinus, propugnauit. Hanc ipſe Richard a tanto tempore ſepultam (uti ante ſecta illius phænicem ex cineribus alexipharmaci) excitauit dicens ſe capere non poſſe quomodò D. Virgo in tempore potuerit gignere Deum qui ab æterno fuit. Et conſequenter in ſuâ primâ apologiâ manu propriâ ſcriptâ & inuentâ in eiusdem cubiculo audacter reſpondens ad* 1. *propoſitionem quæ ſic habet:* D. Virgo nihil eſſentiæ Dei produxit, ergo non eſt Mater Dei *dicit* primam partem agnoſcô ſed non conſequentiam, *quibus verbis clarè fatetur D. Virginem Deum non genuiſſe, cum gignere ſit producere, quod amplius contra ipſum probatum fuiſſet niſi ipſe ſibi timens præcipua ſcripta, maximè quaternionem ex dictatis Theologicis, ubi agit de D. Virgine, abſcondiſſet, vnde & præſumptio ſtat contra ipſum, deinde pluſquam ſatis probatum eſt per probam teſtimonialem religioſorum monaſterij ipſius, ac alio-*

rum exterorum, tum etiam ſacularium, eiuſdem domus alumnorum eaſdem propoſitiones de maternitate Deiparæ paſſim oretenus ſuſtinuiſſe, ac ſuos docuiſſe contra edictum Caroli 5. datum 10. aug: anni 1526. deluſus præcipué principio iſto palmari Carthesiano quo dicitur nihil eſt aſſerendum niſi quod eſt clarè & diſtinctè cognitum, *alijſque plurimis paralogiſmis, quibus ſecta illa abominabilis praoccupata non ſolum noua, ſed & maximè paradoxa & Eccleſiæ non tantum ſed & Politicæ ſummoperè noxiua conatur introducere, & clandeſtinis ſuis inſtructionibus populum docendo ipſum ab aduerſarijs, præcipuè Ordinibus mendicantibus auertere, vnde exnunc varia Monaſteria turbata ſunt; donec fortior deuinctis ſibi principum animis effecta (uti præcedenti ſaculo per Lutheranos, & Caluiniſtas magno fidei, & Catholicorum detrimentō pati debuit Eccleſia) cornua erigens audeat publicè in aduerſarios deſæuire, deploramus ſerò nimis ſeditionibus; ac bellis ciuilibus, atque paricidialibus ampliſſimam hinc Ciuitatem ac Flandriæ metropolim, quin imò, & vniuerſã Prouinciã devaſtare, cum ex nunc nullius parcens honori, & non tantum ſibi pares, ſed & Theologos præcipuos, ac Profeſſores, Regios Miniſtros, quin imò Regem ipſum, ſummum Pontificem, ac ipſammet Eccleſiam diris ſuis linguis non vereatur impetere ſub ſpecie pietatis, & titulo falſæ veritatis, ac charitatis larvata ut olim fecit Neſtorius, Ioannes Hieroſolymitanus, Caluinus, alijque hæretici, hoc ſibi modo Principum animos concilians, nec enim eſt aliqua ſecta,*

aut

aut hæreſis quæ ſub ſpecie pietatis non prodit ex hoc cautius vitanda, quia ſubtilius hominnes ſeducit: quod quam periculoſum, ac ſeditioſum ſit nemo non videt. Quia ſcintilla *ait S. Aug:* loquens *de Arianiſmo*, in principio extincta non fuit, ejus flamma totam vrbem (Alexandriam) popûlata eſt: *quare præcauere volens Carol: 5. Imperator ſummæ memoriæ edictum promulgauit 29 Aprilis 1550. relatum in librum edictorum fol. 160. in quo dicitur.* Omnes iſti qui habitâ informatione ſuſpecti fuerint de hæreſi aut abuſu, quam-vis recepti fuerint ad pænitentiam, & in gratiam, nihilhominus nunquam poterunt honeſtum aliquem ſtatum, qualiſcumque fuerit in hoc Belgio poſſidere. *Secundum cap: 2. & 15. de hæreticis in 6. quem in ſinem eodem edictio ſtatuitur ut illi qui ſciunt aliquos hæreſi contaminatos aut ſuſpectos (quod idem ſtatuit Alex: 7. per Bullam ſingularem editam die 8. Iulÿ 1660. de Religioſis, ſpecialiter reſpectu quorumcumque ſuorum ſuperiorum) teneantur eos ſtatim reuelare, & denuntiare Epiſcopis, aut Superioribus ſub pænis contra hæreticorum fautores ſtatutis, etenim non ignorabat prudentiſſimus Imperator, hæreſes quæ in principio reſecatæ non ſunt, difficilius eradicari, quare vti ex earum incremento prævidebat ſuæ rei-publicæ tum civili, tum Ecclesiaſticæ ſummum imminere detrimentem ſtrictiori quam adulteria, homicidia, aliaque ſacinora, voluit ſacrilegia hæreſios, eorumque authores quinimò de illo ſolummodo ſuſpectos ut ſeditioſos, & publicæ*

pacis perturbatores ſeveritate punire; his legibus inſiſtens Illuſtriſſimus Secretioris Regis Conſilij Senatus præhabitâ Dominorum Fiſcalium Flandriæ informatione, Conſilio Illuſtriſſimi Domini Epiſcopi Gandavenſis deſuper audito R. D. Ioannem Richart in Exilium extra Diæceſim relegavit, quod cum ſemel infregiſſet, iterum ſub majoris pænæ comminatione e Diæceſi expulſus fuit, ſed Civitate ſub Gallorum poteſtate redactâ Gandavum reverſus tam multis ſiniſtris factionibus, tamque varijs dolis vſus eſt, ut per violentiam inauditam & contra Ius omne in Galliam abductus ſit Dominus Franciſcus van Ravenbrouck qui fuerat a ſuâ Maieſtate in locum præfati D. Ioannis Richart cum præuio adviſamento Vicarij Generalis Ordinis Ciſterſienſis in Belgio ac Vicariatus Gandavenſis tunc vacantis, collectis quoque ſuffragijs Religioſorum ad regimen Monaſterij Waerſchotani denominatus donec aliter a ſua Maieſtate ſtatueretur. interim præfatus D. Franciſcus per duos annos in carcere viliſſimo Cameraci miſerrimè, & pluſquam barbaro modo dedetentus fuit innocens omninò vt patuit in eius egreſſu a R. D. Richardo Moreno Abbate Monaſterij Valcellenſis, cujus exceſſus brevi prodibunt (acta enim obtinui ab amico quodam) niſi ipſe præfatus D. Franciſcus edat ſuam iuſtificationem, quam hoc vſque deferens nimium Ordinis ſui Superioribus reticuit. reddens pro malo bonum. Hâc durante captivitate publice licet infamis ſe intruſit præfatus D. Richart in dignitatem ſuam ad

quam licet a Rege denominatus per importunitatem Epiſcopi Gandavenſis d'Allamont, per preces, & blanditias obtentis votis Religioſorum, nunquam tamen petijt ſuæ denominationis confirmationem a legitimo Superiore etiam de eo admonitus prout ex Iure petere tenebatur ſub pænâ privationis dignitatis ipſo facto. equidem his omnibus non obſtantibus Civitate Gandavenſi ad Regem noſtrum reductâ auſus eſt neſcio quâ fronte in Monaſterio permanere quare ſecundum Iura, & praxim in omnibus Regis noſtri vſitatam, vi poteſtatis œconomicæ, ac politicæ, cui omnes Epiſcopi, Abbates, & Superiores Eccleſiaſtici, ac Regulares vt Conſiliarij Regis in ijs quæ tangunt Regem, regimen, & ordinem poteſtatis Regis tenentur obedire S. Th: 1. 2. quæſt: 96. art: 4. & ſi non obediant, in exilium mitti poſſunt; tertio a Regio Senatu citatus fuit etiam ſub gravis pænæ comminatione, nec comparuit, quin imò in hunc vſque menſem Septembris perſiſtit contumax, Refractarius, ac rebellis Regijs Decretis quaſi ipſi lex poſita non foret, & ſuos interim Religioſos & præfatum D. Adminſtratorem perſequitur, ac vbique calumniatur quia eius Doctrinæ aſſentiri nolunt & contra ipſum coram Ordinario loci depoſuerunt prout tenebantur ex mandato Bullæ Alex: 7. & Edicto Caroli 5. ſupra citatis vt ipſimet DD. Fiſcales Conſilij Flandriæ ſupplicâ deſuper conqueſti eidem Conſilio iam dudum demonſtrarunt, ſed contra illum hoc vnicum reponere ſufficit quod olim D. Baſilius l. 2. con-

tra

Digitized by Google

tra Eunomium reſpondit: hec eſt illa cauillatio ab alijs olim adinventa, nunc verò ab impudente, & inuerecundâ illâ linguâ, conſummata, & perfecta. *Vnde Thomas Stapletonus dubitat, & per orationem ſpecialiter inquirit, an maior ſit nequitia hæreticorum quam aſtutia in quâ 40. inſignes impoſturas præcedentis ſæculi hæreticorum notat, ſimilibus calumnijs olim SS. Athanaſium, Chryſoſtomum, Damaſum, Martinum Papam, dum aliter ſe defendere non poterant. aggreſſi ſunt Ariani, alijque hæretici. De talibus ait S. Bernardus ſerm: 3. de annuntiatione.* Veſtras manus nec adultera effugit, nec pudica. veſtras accuſationes nec Sanctus, nec peccator evadit. Diſſimulatis peccata veſtra ubi inueneritis aliena: alioquin. ſi quis forte ſuum non habet, veſtrum ei impingitis crimen, ſicque ut ſeductores (2. ad Thim. 3. proficiunt in pejus errantes, & in errorem, mittentes. *In vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis ait. S. Petrus epiſt: 2. cap: 2.* Calumniatores, qui mendacijs, & confictis criminibus aliorum innocentiam vexant ait *Eſtius cap: 3. 2. ad Thimot: ſed* qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit? *Eccl:* 14. profectò præſumendum eſt ait *Saul Ex rex*, §. 170. eum qui Deo nequam fuerit, nulli alteri bonum fore vel fidelem. *Itaque ponens mendacium ſpem ſuam, eoque ratus ſe protegendum ut dicitur Iſaij 28. aſſertor inventionum, & inuentor aſſertionum ut S. Bernardus*

aiebat

aiebat de Abaillardo fabricator mendacij ut ait Richardus Victorinus volens ſibi nomen facere, ſtuduit noua inuenire, nec tam cura ei fuit ut aſſereret vera, quam ut putaret ſe inueniſſe noua. Præſumens, itaque de ſenſu ſuo putauit ſe poſſe facere ſibi ſapientiæ arcam, ſicque abiens in adinuentionibus ſuis ratus eſt ſecum ortam, morituramque ſapientiam, utque illam cautius cuſtodiat. Sic ait idem D. Richart in libello notato ſub litterâ A 2. fol: 1. verſo in epiſtolâ reſponſoria ad quemdam amicum Louanienſem. Cauendum eſt ne noſtrarum aſſenſum propoſitionum interpretemur. . . . . . reſtat procurandum ne Hiſpani, qui interdum leuioris ſunt fidei dictis eorum, qui illas miſerunt citò acquieſcant: *& paulò ante ſic ait.* Veræque nihilhominus gratiſſimæ fuerunt, & conſolationi in oppreſſione, quam ſuſtineo. parum cordi mihi foret licet, ad ſanguinem procederet ſi ſolus paterer, non ſolum me perſequi meditantur, ſed potius in me veritatem, & omnes qui illam in Chriſti Doctrinâ diligunt. *Arrogantiſſima præſumptio, ex quâ patet quam ſtrictè in tali obſeruanda ſit regula illa Iuris*: qui ſemel eſt malus, ſemper præſumitur malus in eodem genere mali, *quia non poteſt vno tempore aliter quam alio de eâdem re iudicare ut ipſemet ait, & oſtenſum eſt.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google